po S. p. X. kan. Spisie

6Z libris Laurentij Joseph Latoszy

Hugeyska

~~Hymnadi~~

De oltarin

Anno 1734

Złotych 112. Szelągami 8.
dobrą Monetą Szostakami dudkami
9 Złotych, Szostaków 2. Siódmak
jeden, w woreczku drelichowym.
w Miejscu iak Mowi Nad Michalskim

Joannes Madzyski.

BREVIARIUM.
ASCETICO-POLITICUM.

Hoc eſt:

LV. Breves Meditationes,
& Spirituales Lectiones.

STATUI POLITICO CHRISTIANO,

Sive

Perſonis Sæcularibus
Chriſtianæ pietati addictis.

à

JOSEPHO Libero Barone ab Eidtner,
C. E. W. C.

Oblatæ & Dedicatæ.

CUM LICENTIA ORDINARII.

Wratislaviæ,
Typis CASPARI RUDOLPHI MüLLER,
Elect: & Episc: Typ: Aulici.
M DCC XXI.

Ex libris Francisci Josephi Załusinski.

Vade populus meus, intra in cubicula tua, claude ostia tua super te, abscondere modicum ad momentum. Isaiæ 26. v. 20.

Hæc meditare, in his esto: ut profectus tuus manifestus sit omnibus. 1 Tim. 4. v. 15.

Benevolo Lectori.

QVamvis homo Sæcularis, eum virtutis gradum conſcendere non teneatur, ad quem Sacerdos, vel Religioſus obligatur; certum tamen eſt: *quemlibet hominem*, ſi beatitudinem conſequi velit æternam, *conformiter ad ſtatum vocationis ſuæ, virtutes ſectando, & vitia fugiendo, DEO ſervire debere.* Omnes enim homines, Peregrini, & viatores ſunt, in Patriam cœleſtem tendere nati. E quibus: tametſi ſæculares, magis difficili, lubrica, & prærupta incedentes via, ad æqualem cum Religioſis profectum adſtringi non poſſint; progredi tamen & ipſi debent: ſi præfixum peregrinationis terminum attingere velint. Si enim: *nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpi-*

ciens retrò, aptus est Regno DEI. Lucæ 9. v. 62. minùs certè eidem consequendo aptus erit, qui non modò *respiciendo* progredi cunctatur; sed insuper *nunquam procendo*, cœlo appropinqvare dedignatur: aut *retrogradè incedendo*, lubens ab eo elongatur. Unde perspicuum fit: errare, & quidem valde periculosè errare, omnes illos Dominos Sæculares, qui, hoc ipso, *quòd* (ùt suprà dicitur) *eum virtutis gradum attingere non teneantur, ad quem, ratione sublimioris vocationis suæ, Religiosi obligantur*; quodlibet pietatis exercitium: de Mundo in Claustra, *velut in quoddam exilium*, relegant: & id ad se nullo modò pertinere putant. Qvasi: aut virtutem illam, *ad quam nihilominus in statu suo tenentur* (& quæ, tametsi minor sit obligatione Religiosorum, inter multiplices tamen obstrepentis Sæculi turbas, haud minorem exigit conatum eorum, quàm in quiete Claustrali constitutorum, virtus major petat istorum) sinè omni exercitio sint adepturi, & adeptam

eptam inamiſſibiliter retenturi ; aut, virtutem nullam exercendo, Cœlum (quod vim patitur, *Matth. 11. v. 12.*) absque labore conſecuturi. Aliud enim eſt: *minus à Sæcularibus qvàm à Religioſis exigi*, aliud: *nihil prorſus reqviri.* Aliud inquam eſt: ab èis non peti, nec eisdem ſvaderi, ut: dum virtute Juſtitiæ, ad certa forenſia, & Politica negotia tractanda obligantur, ſe interim orationibus, & Meditationibus, itá totos dedant, qvò eadem, cum gravi Rei-publicæ damno, penitùs negligant, vel perfunctoriè tantùm perſolvant; aliud: *eosdem ſalutis ſuæ prorſus oblitos, ſinè omni conatu, cœlum conſcenſuros.* Unde, itá faciendum eſt unum, ut non omittatur & alterum. Itá ſerviendum Rei-publicæ, ut non obliviſcamur animæ. Itá dextrè dividendum tempus: ut de profundo curarum ſæcularium caput freqventiùs erigentes, ea etiam recogitemus, & diligenter curemus, quæ ad obtinendam ſalutem noſtram conducentia ſunt, & neceſſaria. Hoc

autem, ut eò commodius, à quolibet, quantumvìs maximis negotijs politicis occupato, præſtari poſſit; præſens libellus facillimam exhibebit methodum. Ità breviter, diſcretè, & prorſus *politicè* cum Dominis *Politicis* acturus: ut ad valde prolixas, & difficulter practicabiles devotiones, eos non ſit adſtricturus, neceſſaria autem ſufficienter inſinuaturus. Id unum intendendo: ut Chriſtianè vivant, finem creationis ſuæ præ oculis habeant, peccata diligenter evitent, virtutes, ſtatui ſuo proportionatas, ſectentur: & noviſſimorum ſuorum ſedulò recordentur. Atque ſic (benedicente Deo) ex Politicis, *Archi-Politici* evadant, arte prorſus mirabili, & plusqvàm Politica: *ità deindeinceps Mundo ſervituri, ut ſimul Deo ſint placituri.*

Anno-

Annotatio.

De modo meditandi.

Piè meditari, aliud non eſt, qvàm: tres potentias animæ, Dei obſequio impendere. Ità, ut *Memoria*, breviter rem meditandam in animum revocet. *Intellectus*, deſuper ſecundùm lumen ſanctæ fidei diſcurrat. Et *Voluntas*, ab intellectu mota, propoſitum aliquod, Chriſtiano homine dignum, circa eandem rem concipiat, ſuóque tempore in effectum deducat. Hoc ergo ut bene fiat: ante omnia præmittat Meditans *Orationem præparatoriam*, quæ in ſeſequentibus actibus conſiſtere debet; Id eſt: in *actu Fidei*, qvô DEUM præſentem, ſéque videntem concipiat. In *actu Adorationis*, qvô præſentem profundiſſimâ humilitate adoret. Et in *duplici petitione*: quarum primâ *intellectum à Deo illuminari*, ſecundâ verò *voluntatem, ad cognitas veritates amplectendas, inflammari* depoſcat. Præmiſſa

hac oratione præparatoria, Meditationis ipsius, per puncta divisæ, singula verba accuratè consideret, & veritatem per ea propositam, meliore qvô poterit modo, secum ipse ratiocinando, discutiat. Dein', vitam suam ad trutinam cognitæ veritatis summa cum diligentia revocando, perpendat: num ei veritati conformiter vixerit? &, *si ei conformiter vixit*, humillimas gratias DEO agat. *Si verò non*: omni conatu caussam, & radicem negligentiæ suæ inquirat: ut eam funditus evellere, séqve veraciter emendare possit. Post hoc: generosô voluntatis actu præterita detestando, firmissimum concipiat propositum: *vitam suam, ad normam cognitæ veritatis, imposterum omnino instituendi.* Quod propositum, ut efficax sit; in merè *generali* conclusione nequaquam consistere debet: qui enim generaliter tantùm proponit, *v. gr. volo vitam meam imposterum emendare, & Deum non ampliùs offendere*: qui, inquam, sic generaliter tantùm proponit, *multum*

tum quidem promittit, ſed ordinariè *nihil ſervat.* Unde, præter ejúſcemodi *generale* propoſitum, aliud *particulare*, & qvidem in exſtirpationem malæ radicis, ex qua negligentiam ſuam pullulâſſe agnovit, directè tendens, elicere debet. In exemplo: Facta qvarta Meditatione, *quæ infrà habetur, & de negotio ſalutis tractat*, veritas, quam, ſingula ibi breviter inſinuata diligenter ponderando, agnovit, fuiſſet: *cuilibet magìs cordi eſſe debere ſalutem ſuam, qvàm reliqua omnia negotia ſua; eò quod, tametſi reliqua omnia perderet, hoc ſolùm aſſecutus feliciſſimus adhuc eſſet in æternum; cùm è contra, alijs omnibus ad nutum cedentibus, hoc uno neglecto: miſer futurus ſit in æternum.* Facta, inqvam, quarta meditatione, & plenè penetrata veritate jam dicta, mox vitam ſuam diligentiùs inſpiciendo perpendat: num ei veritati conformiter vixerit. Id eſt: *num re vera ſalutem ſuam, præ alijs omnibus negotijs, cordi ſibi ſumpſerit, de illa freqventer, & ſolicitè, cogitaverit, eam*

efficaciter desideraverit: & *media, ad eam assequendam à Deo ordinata, diligenter adhibuerit, nec quidqvam ei contrarium egerit.* Quæ si ità fuerint: gratias agat omnium bonorum largitori DEO, & constantem in bene cœptis perseverantiam ab eo petat. Si verò in aliquo culpabilem se fuisse deprehenderit: profundissimâ humilitate veniam postulando, emendationem proponat; & statim: *nè in generali*, atque adeò *merè speculativo*, hoc emendationis proposito sistat: *causam,* & *radicem, abominabilis in tam gravi negotio negligentiæ suæ, diligenter inquirat*, ut eam funditus eradicare, séque veraciter emendare possit. Cúmque, ut facilè videbit, hujus negligentiæ causa, & radix haud alia fuerit, quàm *nimia de rebus terrenis sollicitudo*, vi cujus, sæcularibus negotijs *ità totum se tradidit, ut, diebus plurimis, salutis suæ prorsus oblitus, de ea nihil cogitaverit*; ea propter: malam hanc radicem penitùs evulsurus, *in particulari proponat: imposterum die quolibet*, perac-

tis

tis consvetis matutinis precibus, *per quartã unius horæ partem, juxta materias in hoc libello suo ordine distributas*, *piæ vacare meditationi*. Sic enim, haud dubiè, salutis suæ magis memor vivet, & consequenter, *generale emendationis propositum*, quod paulò antè conceperat, non sinè maximo animæ ejus bono, *practicè efficax evadet*, & meditatio optatum assequetur finem. His ità peractis, colloquio meditationem finiat. *Colloquium autem istud aliud non est, quàm familiaris quidem, sed simul reverens, humilis, & devota allocutio SS. Trinitatis, vel Christi Domini, vel Beatissimæ Virginis, vel Sancti Angeli custodis* &c. in qua meditans, quasi personaliter coram SS. Trinitate, vel Christo Domino, vel Beatissima Virgine &c. &c. constitutus, varias subinde personas agit: v. g. si alloquatur SS. Trinitatem: *creaturæ loqventis cum Creatore: infimi vasalli cum supremo suo Monarcha* &c. Si Christum Dominum alloquatur: *Filii cum Patre, ægroti cum Medico, discipuli cum Magi-*

stro

ſtro &c. Si Beatiſſimam Virginem, Sanctum Angelum cuſtodem, vel aliquem ſanctum ſuum Tutelarem: *mendici cum divite, clientis cum Patrono. &c. &c.* Atque: ſeu conſilium in dubijs, ſeu auxilium in neceſſitatibus, & periculis, implorat. Finito colloquio, & terminata meditatione: oret unum *Pater*, & *Ave*, in gratiarum actionem pro luminibus ea meditatione ſibi à DEO conceſſis; conſtantémque in novo propoſito perſeverantiam denuo petat.

MEDITATIO I.

De creatione, & fine creationis univerſorum.

I. DEUS ex nihilo crevit omnia:
Et inter omnia etiam me.

II. Me creavit propter ſe:
Ut ei ſerviens, ipſo fruar in æternum.

III. Reliqua creavit propter me:
Ut mihi serviant, ad consequendum finem creationis meæ.

Fructus.

Sordes ejus in pedibus ejus, nec recordata est finis sui. Thren. 1. v. 9.

Freqvens mea hodierna cogitatio, finis mei erit recordatio. *Pater noster. Ave Maria.*

Lectio spiritualis.

QVantumvis dignitatem Divinam, per se, & in se infinitam, *præcisè propter se*, ac independenter ab alijs quibuscunque motivis, venerari, & obsequijs omnibus honorari oportere, ipsum lumen naturale, quô Deus *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Joan: 1. v. 9.* cuilibet sufficienter ostendat homini; tamen, ut obligationi nostræ tantò promptiùs satisfaciamus, & finem creationis nostræ eò libentiùs impleamus, tres seqventes rationes præterea perpendamus:

I. In-

I. Innumera beneficia, quæ nobis contulit *DEUS*: quæ confert de præsenti: & quæ deinceps conferre intendit.

II. *DEUM*, obsequijs nostris, utpote *Ens sufficientissimum sibi*, nullatenus indigere. *Dixi Domino: Deus meus es tu, qvoniam bonorum meorum non eges. Ps. 15. v. 2.* respectu cujus *servi inutiles sumus. Lucæ 17. v. 10.* perfectissimam ejusdem felicitatem nec bonis operibus augere, nec peccatis nostris turbare valentes; dicente Sancto Job *cap. 35. v. 6. & 7. Si peccaveris, quid ei nocebis? & si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum? Porrò si justè egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?* Et conseqventer: *non ipsius Dei*, sed *nostrum* negotium nos tractare, *nostrum proprium utile* præcisè observare: dum legem ejus adimplendo, illi quidem famulamur; sed eô famulatu, *nobis, non illi*, felicitatem æternam lucramur.

III. Exemplum omnium aliarum creaturarum. Quæ enim creatura suo

non

nonobtemperat Creatori? quæ eidem ad nutum ſervire recuſat? *Stellæ --- vocatæ ſunt, & dixerunt: adſumus. Baruch. 3. v. 34. & 35. A facie Domini mota eſt terra. Pſ. 113. v. 7. Imperavit ventis & mari, & facta eſt tranqvillitas magna. Matth. 8. v. 26. Dixit Dominus piſci: & evomuit Jonam. Jonæ 2. v. 11.* Præcepit corvis, & paverunt Eliam. *3 Reg. 17. v. 4. & 6. &c. &c.*

MEDITATIO II.

De pretio animæ Humanæ.

I. Animam Hominis pluris æſtimat *DEUS* toto Mundo:

Qvia eam proprio redemit ſangvine.

II. Pluris æſtimat *Diabolus* toto Mundo: Qvia pro ea dare voluit totum Mundum. *Matth. 4. v. 9.*

III. Pluris æſtimare debet *Homo* toto Mundo:

Qvia *quid prodeſt homini, ſi Mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? Matth. 16. v. 26.*

Fru-

Fructus.

Qvam dabit homo commutationem pro anima sua? Matth.16. v.26.

Custodiæ, & protectioni Beatissimæ Dei Matris, Sancti Angeli tutelaris, & Sancti N. Patroni mei, animam meam devotissimè commendabo. *Pater noster. Ave Maria.*

Lectio spiritualis.

QVàm bene dixerit S. Paulus: *habemus thesaurum in vasis fictilibus. 2 Cor. 4. v. 7.* facilè intelligit, qui ingens pretium animæ suæ, & pericula hujus vitæ, diligenter expendit. Certè thesaurum habemus, qui totius mundi valorem in hoc ipso, longè superat: *quòd pretiosissimam Cœli terræque Domini imaginem præseferat*, & ab ejus infinitudine dignificetur, cujus similitudo dici meretur. Sed hunc ipsum thesaurum portamus *in vase fictili*, id est: *in corpore fragili*, & ad omne peccatum proclivi. Cautè igitur eum portare debe-

debemus, nè eum damnô noſtrô dilapidemus. Qvare autem multi, prorſus incuriè, hunc ingentem portent theſaurum: triplex potiſſimùm ratio reddi poteſt.

I. *Qvia pretium hujus Divinæ imaginis non intelligunt.* Qvod facilè intelligerent, ſi bilancem crucis Chriſti aſſumerent, & quantùm eam æſtimaverit ipſe, attentiùs ponderarent. Omnia enim tormenta, quæ pro omnibus ſuſtinuit Chriſtus, pro qualibet anima ſingillatim, ſi opus fuiſſet, indubitanter ſuſtinuiſſet; &, ſi denuo mori poſſet, denuo ſuſtinere paratus eſſet. Qvod innuens S. Paulus *ad Gal.* 2. *v.* 20. acſi non in communi pro omnibus hominibus, ſed pro ipſo ſolo in particulari, Chriſtus mortem ſubiviſſet, de ſe ipſo ſolo, in ſingulari, dicit: Chriſtus *dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.*

II. *Qvia hoſti Diabolo nimiùm credunt,* pericula amiſſionis ejus parvi facienti, & vitæ delicias multùm extollenti. Qvi ſerpentinô aſtû eis blandiendo, dicit:

non facilè in æternum perire posse animam, quæ, etsi in peccatum cadat, media habet, per quæ resurgat.

III. *Quia irreparabile amissionis ejus damnum, non satis perspiciunt.* Quod quidem perspicerent, si eam *æternam & unicam esse* attentiùs considerarent. Ipsa enim *æterna* est: quam quolibet peccato perdere possumus, &, si tandem perdamus, in æternum non ampliùs recuperamus. Ipsa *unica* est: quam si semel amittamus, aliam non habemus, quam substituamus.

MEDITATIO III.

De dignitate hominis Christiani.

Memento Christiane dignitatis tuæ:

I. Ad imaginem DEI es creatus. *Gen. 1. v. 27.*

In ejus nomine baptizatus. *Matth. 28. v. 19.*

Ad ei corregnandum destinatus. *ad Rom. 8. v. 17.*

II. Innumeris privilegijs te Deus vallavit. *Ps. 8. v 6.*

Custodiæ Angelicæ sollicitè commendavit. *Ps. 90. v. 11.*

Omnem creaturam pedibus tuis substravit. *Ps. 8. v. 8.*

III. DEUM audes vocare Patrem. *Matth. 6. v. 9.*

Filium ejus sortitus es fratrem.; *Rom. 8. v. 29.*

Spiritum Sanctum Tutorem, cœlestis gratiæ largitorem. *Joan. 14. v. 26.*

Fructus.

Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filij Dei nominemur, & simus. 1 Joan. 3. v. 1.

Ad magna natus, viles recusabo conatus. *Pater noster. Ave Maria.*

Lectio spiritualis.

QVemadmodum propriæ vilitatis, & primævi nihili nostri humilis recogita-

cogitatio, univerſo prodeſt generi humano: docens unumqvemq; noſtrum ſolidè ſubſiſtere *in ſe*, nè inani ſuperbiæ ventô tollatur *ſupra ſe*. Ità ſeria ſupernaturalis præeminentiæ noſtræ meditatio, præprimis neceſſaria eſt homini Chriſtiano: ut per eam firmetur *in ſe*, nè *comparatus jumentis inſipientibus. Pſ. 48. v. 21.* committat *indigna ſe*, & decidat *infra ſe*. Idque triplici potiſſimùm de cauſa.

I. Quia talis meditatio, per quam ad imaginem Dei creatos, ſplendidiſſimo SS. Triadis nomine gloriosè ſignatos, & ad corregnandum Deo nos meminimus eſſe vocatos: excitat hominem, *ad ea, quæ ſurſum ſunt*, ferventiùs inquirenda; & *ea, quæ infrà ſunt*, generosè contemnenda.

II. Docet peccata vitare, quæ ſola de dignitate noſtra nos deturbare, & ſervituti Diabolicæ æternùm poſſunt mancipare.

III. Svadet adverſa patienter tolerare, ut in Regno Chriſti mereamur Regnare,

nare, à quo, pati nolentes, cogentur exulare, & quò per multas tribulationes oportet nos intrare.

MEDITATIO IV.

De negotio salutis.

Consecutio salutis æternæ:

I. Est negotium, totaliter, & unicè meum.

Si ego illud neglexero; quis illud assumet pro me?

II. Est negotium, totaliter, & unicè meum, de toto me, de mea anima, & de meo corpore.

Si ego illud non ursero: quis illud urgebit pro me?

III. Est negotium, totaliter & unicè meum, de toto me, per totam æternitatem duraturo.

Si ego illud non evicero: qvis illud evincet pro me?

Fructus.

Populus verò meus oblitus est mei diebus innumeris. Jeremiæ 2. v. 32.

Imposterum, ut minùs per quartam unius horæ partem, de DEO, & salute mea, singulis diebus piè meditabor. *Pater noster. Ave Maria.*

Lectio spiritualis.

INter cæteras rationes, ob quas unigenitus DEI Filius incarnari, & homo fieri voluit, hæc etiam fuisse videtur: *Ut homines aliquem saltèm haberent hominem, cui omni ex parte fidere, & cum quo prorsus securè conversari possent.* Præter hunc enim Divinum hominem, nullus alius invenibilis est homo, cui in hoc mundo, *omni ex parte*, fidere possimus.

I. Nobis enim ipsis fidere non audemus. Quia: *unusquisque* noſtrûm *tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus. Jacobi* 1. *v.* 14.

II. Alijs etiam fidere non possumus. Quia hi: vel *inimici* nostri sunt, vel *amici*, aut *nec amici*, *nec inimici*. Si sint *Inimici*: jam certum est, cum eis securè nos conversari non posse: *quis enim*

enim fidat inimico? Si autem ſint *amici:* nec his *ſemper* fidendum eſſe, ſuo nos periculo præmonet S. Job: *quem ſeducere, & ad impatientiam inducere conabantur amici.* Si denique *nec amici, nec inimici*, hoc eſt: ſi *indifferentes* ſint; facilè quidem credere poſſumus, illos nobis non multum boni præſtituros; ſed, nè eorum nos lædat converſatio, ſecuri eſſe non valemus. Qvia: ſi *amico fidendum non eſt*, minùs certè fidendum erit illi: *qui quàmvis non inimicus, amicus non eſt.*

III. Cúmque ipſo teſte DEO, *non ſit bonum, eſſe hominem ſolum. Gen. 2. v. 18.* & ſimul, *nemini plenè fidere audentibus*, periculoſiſſimum ſit *non eſſe ſolos*; ea propter: nè etiam cum ſoli ſumus, *ſimus ſoli*; & quando *ſoli* eſſe non poſſumus, hoc eſt: quando, ſtatu & negotijs noſtris id depoſcentibus, cum hominibus converſari debemus, absque periculo ſalutis noſtræ cum ijsdem converſemur: DEI clementia nobis de aliquo providit homine, cui non ſolùm

 ſecurè

ſecurè fidere poſſimus, ſed ipſa etiam converſatione illius, contra pericula doloſæ converſationis humanæ muniamur. Hic autem homo, eſt Deus-Homo *CHRISTUS JESUS*. Cum hoc ergo fideliſſimo homine frequentiſſimè converſemur, & impoſterum die quolibet, *perſolutis precibus noſtris matutinis*, antequam cum reliquis hominibus converſari incipiamus, in ſacram ſolitudinem pauliſper ſecedentes, vocem ejus, qui libenter ſermocinatur in deſerto, & animæ noſtræ loqui cupit in deſerto, dicens: *Ducam eam in ſolitudinem: & loqvar ad cor ejus. Oſeæ 2. v. 14.* attentè ibi audiamus: atqve de ſalute noſtra piè meditando, cor noſtrum ei ſincerè aperiamus, graviſſimúmque ſalutis negotium, ante alia negotia noſtra, *illi ſoli*, commendemus ſoli.

ME.

MEDITATIO V.

De ordine negotiorum.

I. Ut negotia nostra bene procedant:
Temporalia æternis non antecedant.
II. Diligenter examinentur:
num saluti animæ non contrarientur.
III. Priùs, qvàm à nobis inchoëntur:
DEO humiliter commendentur.

Fructus.

Nónne anima plus est, quàm esca? Matth. 6. v. 25.

Qvare ego *omnis labor hominis in ore ejus? Eccles: 6. v. 7. Pater noster. Ave Maria.*

Lectio spiritualis.

VAlde pauci in hoc Mundo reperiuntur, qui cum veritate dicere possint, quod de se ipso dixit S. Psalmista David *Ps. 118. v 109.* inqviens: *Anima mea in manibus meis semper.* id est: *semper operor circa illam, ut salvem illam.* Plerique enim corpori totum tribuentes,

nullam, aut planè exiguam, curam gerunt animæ ſuæ. Dum:

I. *Negotijs ſæcularibus ita implicantur, ut animæ ſuæ penitùs obliviſcantur.* Alijs temporaliter ſerviunt, ſe ipſos ſpiritualiter negligunt.

Hos verò ex hortans Apoſtolus 1 ad Theſſ. 4. v. 10. & 11. inquit: *Rogamus autem vos Fratres, ---- ut veſtrum negotium agatis.* Et Chriſtus ipſe, in perſona Marthæ, præmonere voluit, dicens: *Martha, Martha, ſolicita es, & turbaris erga plurima, porrò unum eſt neceſſarium. Lucæ 10. v. 41. & 42.* Quod *unum* ſi negligatur, fruſtrà alijs inſudatur.

II. *Bona temporalia quærunt præ æternis;* eóq; ordine præpoſtero, amittunt utraque ſuô damnô. In cujus rei figuram S. Patriarcha Iſaac, benedicens Jacob filium ſuum, dicebat: *Det tibi Deus de rore cæli, & de pingvedine terræ. Gen. 27. v. 28.* Propheticô Spiritû de eo prædicens: quòd primo loco *cæleſtia*, ſecundo autem loco *terrena* ſit quæſiturus, ac ità utraque habiturus, & in rei

veritate

veritate *benedictus* futurus. Esau autem, eisdem ferè verbis, sed non eodem ordine dispositis benedicens, agebat: *in pingvedine terræ, & in rore cæli desuper, erit benedictio tua. Gen. 27. v. 39. & 40.* Quasi de eo prænoscens: quòd majore cura temporalia sit quæsiturus, & *primo loco* ea habiturus, ac ità utraque amissurus, & in rei veritate *maledictus*, non benedictus, futurus.

III. *Maxima pericula quæ eos circumstant, incauti non considerant.* Cùm tamen circa picem continuò versari, & ab ea non coinquinari, si non impossibile, valde tamen sit difficile, & solicita circumspectione egeat, multáque diligentiâ opus habeat.

MEDITATIO VI.

De necessitate Bonorum Operum.

Bona Opera necessaria sunt ad consequendam salutem æternam.

I. Qvia *nolentes* non ſalvantur.
II. Salvari *nolunt*, qui ſalvari *non conantur.*
III. *Non conantur*, qui Dei gratiæ per opera bona *non cooperantur.*

Fructus.

Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in Regnum cælorum: ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe intrabit in Regnum cœlorum. Matth. 7. n. 21.

Hæc eſt enim voluntas Dei, ſanctificatio veſtra. 1 Theſſal. 4. v. 3.

Hodie in hoc determinato virtutis actu N. me diligenter exercebo. *Pater noſter. Ave Maria.*

Lectio ſpiritualis.

Quemadmodum in Paradiſo terreſtri nulla arbor erat ſterilis: uti colligitur ex verbis illis dictis Adamo: *Ex omni ligno Paradiſi comede. Gen. 2. v. 16.* Ità in Eccleſia Dei militante, *ait S. Gregorius Nyſſenus*, per Paradiſum terreſtrem ſignificata, nullus homo debet fruc-

fructibus bonorum operum carere. Idqve triplici potissimùm de causa.

I. *Qvoniam fides sinè operibus mortua est. Jacobi 2. v. 20.* nec proderit credidisse in Christum, si opera non fuerint secundùm Christum. Sicut enim benedictionem Patris non obtinuisset Jacob, nisi pelliculis hædinis manus suas obvolvendo, similes pilosis manibus primogeniti Esau, eidem Patri obtulisset. *Gen. 27. v. 23.* Ità & nos, à Deo Patre benedictionem, & hæreditatem cœlestem, non obtinebimus, nisi Christo Filio ejus, qui est *primogenitus in multis fratribus. Rom. 8. v. 29.* quoad *manus*, hoc est: *qvoad virtutum opera*, similes comparuerimus. Qvin & ipse Christus, hæreditate Patris sui indignos censebit, in quibus opera fidei correspondentia non videbit. Continget ergo talibus, quòd contigit Euphrateis illis, qui vada Jordanis à Galaaditis adversarijs suis occupata transire volentes, de vocabulo *scibboleth* (quod interpretatur spica) interrogati, illud pronuntiare

re nequibant, atque ità ab ijsdem Galaaditis cogniti, occidebantur. *Judicum* 12. *v.* 6. Jordanis enim, *fluvius Judicij* exponitur, & judicium denotat Christi: in quo omnes homines, *de spica bonorum operum* interrogabuntur; quam nisi absque errore protulerint, in ipso Jordanis transitu æternùm peribunt.

II. Qvia nemo *coronatur nisi legitimè certaverit.* 2 *ad Tim.* 2. *v.* 5. legitimè autem non certat, qui aërem tantùm verberat, *verbo Christianus, opere vanus.*

III. *Quia non decet adultos, solô indusiô vestitos comparere in cælo.* Solô autem indusiô vestiti comparerent, si sola fide in recessu cordis latente, & per charitatem ad extrà non operante, instructi prodirent. Oportet ergo ut imitentur prudentem illam mulierem, de qua *Proverbiorum* 31. *v.* 13. narrat Salomon; quòd: *quæsiverit lanam & linum, & operata sit consilio manuum suarum.* Quæsivit *linum*: per quod notatur *vestis interna*, velut interula; & simul quæsivit *lanam*: per quam signatur *vestis externa,*

terna, velut tunica. Noverat enim: quòd ſicut nemo, *præter ſolos infantes*, absque rubore in publicum prodit ſolô indusiô tectus, itâ nemo adultus, ſola ea fide, *quæ in corde latet*, decenter veſtiatur: ſed pro honeſtate ſua, etiam veſtem externam, id eſt: *fidei converſationem bonam*, induere, & *conſilio manuum ſuarum* ſtolam immortalitatis ſibi promereri debeat.

MEDITATIO VII.

De peccato veniali deliberatè commiſſo.

Peccatum veniale deliberatè comiſſum.

I. Eſt malum, omnibus Mundi malis longè majus, & ſolo peccato mortali minus.

Quia undequaque infinitæ D*EI* majeſtatis aliqualis offenſio.

II. Perfectam erga DEUM charitatem minuit,

Fervorem devotionis exſtingvit,
Rerum ſpiritualium nauſeam parit.

III. Severè punitur à Deo: diverſis in hac vita permiſſis infortunijs, perſecutionibus, & tentationibus, &c. In altera autem vita, graviſſimis purgatorij pœnis.

Fructus.

Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt. Matth. 5. v. 48.

Quoties hoc N. peccatum veniale, deliberatè impoſterum commiſero, totiens hanc N. mulctam pecuniariam, pauperibus erogandam, à me ipſo exigam, vel hoc N. opus pœnale mox perſolvam. *Pater noſter. Ave Maria.*

Lectio ſpiritualis.

PEccatum veniale eſt duplex: unum, quod *ex fragilitate humana* committitur: alterum, quod *ex mera malitia, cum plena advertentia*, perpetratur.

De primo dicitur: *Jacobi 3. v. 2. In multis offendimus omnes.* Qvia etiam viri

viri Sancti, sæpiùs ex humana fragilitate cadunt. De secundo autem dicit Spiritus Sanctus *Eccles: 19. v. 1. qui spernit modica, paulatim decidet.* hoc est: qui non cavet peccata venialia, tandem cadet in peccata mortalia. Idqve triplici potissimùm de causa.

I. Qvia quemadmodum filius, qui nollet vitare offensas Patris, *nisì gravissimas*, ob quas scilicet ex hæredari, & è domo Paterna ejici mereretur: *speciales* illos favores, quos alij magìs morigeri filij, *qui Patrem suum etiam in minimis offendere timent*, ab eodem Patre accipiunt, nequaquam consequeretur; ità & anima, quæ benignissimum DEUM, & Patrem suum, solis peccatis *mortalibus* contemnere timet, peccatis autem *venialibus* offendere non curat: quamvìs propterea jus ad hæreditatem cœlestem non amittat, nec continuò è domo Paterna ejiciatur; *ordinariè* tamen, illis *specialissimis* & *efficacissimis* gratiæ auxilijs à Deo destituitur, quibus ipse filios suos magìs dilec-

tos prævenire ſolet, & ſinè quibus homo aut eſt in periculo cadendi in peccata mortalia, aut defacto cadit in illa.

II. Quia ejúſcemodi peccata venialia, ſunt quædam ægritudo animæ, & eosdem proportionaliter præſtant effectus in anima, quos ægritudo corporis præſtare ſolet in humano corpore. Nimirum; imbecillitatem, defectúmque virium ad exercendas virtutes, & vincendas tentationes. Ac proinde: quemadmodum ægritudo corporis, *nisì in tempore ei obvietur*; adferre ſolet mortem corporis:ità peccata venialia, utpote ægritudo animi, *nisì tempeſtivè curentur*, perſæpè cauſant mortem animæ, hoc eſt: *pertrahunt hominem in peccatum mortale.* Ut proinde non immeritò cum Regulo illo *Joan.* 4. *v.* 49. orare debeamus: *Domine, deſcende priusquàm moriatur filius meus.* hoc eſt: ſana me à tepiditate mea, priusquàm invaleſcat incuria mea, & reatum venialem, culpa ſequatur mortalis.

III. Quia, *ùt bene notat S. Thomas*, per

peccata venialia, paulatim aſſveſcit homo rationis leges violare, & diſſonantiam culpæ non timere: ut tandem audeat in magnis, qui audebat in parvis. Ex quo apparet, graviſſimè falli eos, qui peccata venialia parvum putant eſſe malum. Qvia certè parvum malum non eſt, quod ad graviſſimum diſponit malum. Conſideremus igitur finem, ut comprehendamus peccatorum venialium gravitatem. Reſpiciamus ubi ſolent terminari, ut diſcamus omni conatu illa vitare. Recordemur, per peccata venialia nos devenire poſſe ad mortalia, & ut tantò certiùs nobis obtingat cum Chriſto regnare, etiam venialiter timeamus peccare.

MEDITATIO VIII.

De pœnis Purgatorij.

I. Pœnæ purgatorij: excedunt omnia mundi tormenta. Qvia ſunt altioris ordinis, ipſam penetrantes animam.

II. Accuratissima Divinæ Justitiæ bilance ponderantur. Quia *non exies inde, donec reddas novissimum qvadrantem. Matth. 5. v. 26.*

III. Gravissima Omnipotentis DEI manu infliguntur. Quia hæc dicit Dominus: *convertam manum meam ad te, & excoqvam ad purum scoriam tuam. Isa: 1. v. 25.*

Fructus.

Ipse autem salvus erit; sic tamen quasi per ignem. 1 ad Cor. 3. v 15.

Non reputabo modica, propter quæ pati deberem tanta. *Pater noster. Ave Maria.*

Lectio Spiritualis.

PEccatum, aliud est *mortale*, aliud *veniale.* Peccatum mortale, præter reatum *culpæ gravis*, involvit reatum *pœnæ*, non solum *temporalis*, sed etiam *æternæ.* Peccatum autem veniale, præter reatum *culpæ levis*, reatum habet solius pœnæ *temporalis.* Reatus

tus *culpæ* cujusvis peccati, ſive gravis, ſive levis, aufertur ex integro *per quamlibet pœnitentiam veram;* reatus autem *pœnæ*, non ſemper per quamlibet pœnitentiam veram itá tollitur ex integro, ut condonata culpa peccati mortalis, & conſeqventer ceſſante reatu pœnæ æternæ, hoc ipſo etiam ſemper ceſſet integer reatus pœnæ temporalis, eidem peccato alioquin debitæ: aut remiſſa culpa peccati venialis, illicò etiam condonetur ejusdem peccati pœna totalis; quin nonnunquam, *ob minorem pœnitentis fervorem*, pro peccatis mortalibus, præſertim gravioribus, tota, aut non tota, ſubeunda adhuc reſtet pœna temporalis, & pro peccatis venialibus, aliqua ſubindè remaneat pars pœnæ totalis. Unde pœnitens David, etiam poſtquam à Nathan Propheta audiviſſet, peccatum ſuum *quoad reatum culpæ, & pœnæ æternæ*, à Deo ſibi condonatum eſſe: *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum: non morieris.* 2 *Reg.* 12. *v.* 13. id eſt: *non morieris morte æternâ:*

ſeu, quod idem eſt: *non punieris propter illud pœnâ æternâ*; adhuc nihilominus, de reatu *pœnæ temporalis*, peccato ſuo gravi æqvè debitæ, multum ſolicitus, inſtabat clamans: *Amplius lava me ab iniqvitate mea, & à peccato meo munda me. Pſ.50.v.4.* Et *Eccleſiaſticus cap.5. v.5.* quemlibet admonens peccatorem ait: *De propitiato peccato noli eſſe ſinè metu.* Qvaſi dicat: noli putare, per quamlibet pœnitentiam tuam, *per quam peccati veniam impetrâſti*, hoc ipſo Divinæ juſtitiæ pro peccato tuo, *præſertim graviore*, etiam *quoad reatum pœnæ temporalis* ità ſatisfactum eſſe, ut nihil formidabile pro eo tibi jam reſtet ſubeundum. *Ipſe enim*, id eſt Chriſtus, *Purgabit filios Levi, & colabit eos quaſi aurum, & quaſi argentum. Malachiæ 3. v. 2. & 3.* hoc eſt: etiam *prædeſtinatos*, ſeu cœlo jam deſtinatos, & poſt actam pœnitentiam absque peccato mortali in gratia ſua mortuos, (*Levi* enim, hæbraice *aſſumptus* dicitur, *aſſumptus* autem eſt omnis *prædeſtina-*

tus,

tus, juxta illud *Matth. 24. v. 40. unus aſſumetur, & unus relinqvetur*) colabit, & à reſidua peccati ſcoria, quam antecedens pœnitentia nondum plenè deterſit, in furno Purgatorij, adinſtar auri, diligentiſſimè purgabit, quoadusque toti inveniantur mundi, & conſpectu ejus omnimodè digni. Qvamvis enim *culpa venialis* non ità coinqvinet animam, ut DEO execrabilem reddat, nec *cicatrix* jam Sanati (*per pœnitentiam*) vulneris mortalis, tantam deformitatem habeat, ut animam cælo *pro ſemper* excludat: adhuc tamen *& pilus habet umbram ſuam*, & quilibet, tametſi minimus, peccati reatus, per antecedentem pœnitentiam non plenè ſublatus, aliqvaliter ſaltèm nitorem obſcurat animæ, puriſſimósque DEI offendit oculos, juxta illud *Cant. 4. v. 9. vulnerâſti*, hoc eſt: offendiſti, *cor meum ſoror mea ſponſa ----- in uno crine colli tui.* Unde, quia in civitatem cœleſtem *non intrabit aliquod coinquinatum. Apoc. 21. v. 27.* per ignem Purgatorij mundari

debet anima, priusquàm beata cœli ſubintret limina. Hæc autem purgatio, multo rigidior erit, quàm ſit illa, quam in hac vita, ſive per immiſſionem diverſarum calamitatū ipſe DEUS, ſive per ſpontaneam pœnitentiam ipſe ſolet inſtituere reus. Idqve triplici potiſſimùm de cauſa.

I. Qvia *præſens tempus eſt tempus miſericordiæ*, futurum autem diſtrictæ erit Juſtitiæ. Juxta illud *Pſ. 100. v. 1. Miſericordiam, & Judicium cantabo tibi Domine.* Priùs miſericordiám, deinde judicium: nempe miſericordiam *in præſenti*, judicium *in futuro* ſæculo.

II. Qvia *ibi locus erit vindicativæ tantùm executionis*, ſecluſo concurſu *meritoriæ cooperationis*, cujus unica charitatis ſcintilla plùs efficeret, quàm univerſa purgatorij favilla.

III. Qvia *ipſa mors*, ſeu ſigillum confirmativum vitæ, *quaſi intimiùs apprimendo, indurat remanentem ſcoriam peccati*, ut ad tollendam illam fortiore jam purga-

pugatione, & multo rigidiore opus ſit abraſione.

MEDITATIO IX.

De juvandis animabus Purgatorij.

I. Animæ purgatorij adjutorio noſtro ſummè *indigent*. Quia ſunt in maximis tormentis, è quibus ipſæ emergere non poſſunt.

II. *Merentur* juvari. Qvia ſunt cognatæ noſtræ per ſangvinem CHRISTI.

III. *Gratæ nobis erunt*. Qvia, cùm ſint animæ ſanctæ, cœlo deſtinatæ; tanti beneficij non obliviſcentur ingratæ.

Fructus.

Oblivioni datus ſum, tanquam mortuus à corde. Pſ. 30. v. 13.

Omne opus bonum, quod hac die faciam, pro Animabus purgatorij DEO offeram. *Pater noſter. Ave Maria.*

Lectio ſpiritualis.

VIvi facilè obliviſcuntur defunctorum. Vix enim defuncti corpus ſepulchro infertur, & jam nullus eſt, qui illius recordetur. *Perijt memoria eorum cum ſonitu*, inqvit David *Pſ. 9. v. 8.* qvaſi dicat: quàm diù *ſonant campanæ* mortuo parentantes, tam diù reperies aliquos defunctum deplorantes; aſt ubi campanæ deſierint ſonare, etiam homines ceſſabunt plorare; ac tandem evaneſcente penitùs æris campani ſono, è memoria illorum totaliter excidet defunctus homo.

Quod quidem adeò verum eſt: ut ab hac univerſali cenſura, nec ſangvine conjunctiſſimos eximere poſſim cognatos: quia & iſti non raró ſuorum obliviſcuntur defunctorum, &, quamvis eorum hæredes ſint bonorum, oblivioſum tamen erga illos animum gerunt *alienorum*, juxta illud *Pſalmi 48. v. 12. Et relinqvent alienis divitias ſuas.* Hujus autem communiſſimæ oblivionis, &

cru-

crudelissimæ defunctorum derelictionis, triplex potissimum ratio reddi potest,

I. Qvia vivi non vident defunctos Purgatorij pœnas tolerantes, nec eos audiunt ibidem suspirantes. Quos certè si audirent, & viderent, *misereor super turbam* exclamarent, & pro posse eosdem adjuvarent.

II. Qvia meritum boni operis sibi minui credunt, dum illud animabus Purgatorii cedunt.

III. Qvia seriò non recogitant verba illa Christi, *Lucæ 6. v. 38. eâdem quippe mensurâ, qua mensi fueritis, remetietur vobis.* Sed, cur ô Christiane, affectas oculis videre, quod certiore fide obligaris tenere? cur times operis tui diminutionem, per fraternæ charitatis meritoriam adjectionem? cur non juvas alios, providens ipse tibi, nè & tu aliquando ab alijs deseraris ibi?

MEDITATIO X.

De bona prolium educatione.

I. À bona educatione, pendet bona vita Filiorum. Qvia: *Adolescens juxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea. Prov. 22. v. 6.*

II. Bonam vitam plerumque terminat bona mors. Qvia, *ut ait S. Bernardus Serm. 28. in parv. Qvalis vita, finis ità.*

III. Bonam denique mortem ultrò seqvitur beata cœli sors. Qvia: hæc *momentum est, unde pendet æternitas.* Cùm igitur *animas filiorum, commiserit DEUS curæ Progenitorum:* ut eas probentur curare, piè studeant filios educare.

Fructus.

Noli subtrahere à puero disciplinam: Si enim percusseris eum virgâ, non morietur. Tu virgâ percuties eum: & animam

mam ejus de inferno liberabis. Prov. 23. v. 13. & 14.

Hæc N.N. in prolibus meis emendabo, & in his N.N. magis eisdem invigilabo. *Pater noster. Ave Maria.*

Lectio ſpiritualis.

QVàm verum ſit illud *Gen. 8. v 21. Senſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua.* Hoc eſt: maximum augmentum proclivitatis ad malum *ab adoleſcentia* accipiunt, dum adoleſcentes virtutis iter *in ea non incipiunt;* nemo eſt qui ignoret. Juventus enim, ob communem naturæ humanæ in malum propenſionem, per ſangvinis ſui naturalem fervorem, & Spirituum vitalium ſingularem vigorem, ad quamlibet levitatem, *quaſi admotis calcaribus*, per ſe ipſã plerumque incitatur; &, ſi eo tempore à moderatoribus negligatur, nec fræno bonæ educationis tempeſtivè conſtringatur, ſenſim ità depravatur, ut vitio pro natura invaleſcente, & proclivitate

clivitate ad malum in dies crescente, ad virtutis tramitem deinde non ampliùs reducatur. Cùm enim virtus consistat in arduo, nisi quis eidem à teneris assvescat, facilè illud Davidicum recantat: *non possum sic incedere, quia non usum habeo.* 1 *Reg.* 17. *v.* 39. è contra: qui in juventute piè educatur, toto passim vitæ decursu pius comprobatur. Idqve triplici potissimùm de causa.

I. Qvia, qui, mediante bona educatione, ab ipsis penè incunabulis pietati, & virtuti assvescit, illud, quod alijs virtutem difficillimam reddit, ipse jam superavit. Unde Jeremias Propheta *Threnorum* 3. *v.* 27. ait: *bonum est viro, cùm portaverit jugum ab adolescentia sua,* rationem versu sequente subjungens: *quia levavit super se.* Quasi dicat: quemadmodum qui gravem sarcinam portare intendit, maximam difficultatem in prima ejus elevatione sentit: postquam autem illam in humeros sustulit, jam non adeò difficulter eam portat; ità, qui, mediante pia educatione, onus

præ-

præceptorum DEI à teneris portare incepit, iam onum ipsum *levavit super se*, & in humeros sustulit, unde & sinè magna difficultate illud deinceps portare poterit.

II. Quia primi habitus acquisiti, specialem efficaciam habent, & potentissimè inclinant hominem ad actus similes, iuxta illud tritum: *quo semel est imbuta recens, servabit odorem testa diù.*

III. Qvia talibus peculiariter assistit Deus, dans in bono perseverare, qui bene dedit inchoare.

MEDITATIO XI.

De modo bonæ prolium educationis.

Qvi proles suas bene educare volunt:

I. Ipsi sint boni. Qvia *non potest arbor mala, bonos fructus facere. Matth. 7. v. 18.*

II. Instent apud DEUM oratione, ut proficiant apud proles exhortatione.

Quia

Quia: *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed qui incrementum dat, DEUS.* 1 *Cor.* 3. *v.* 7.

III. Quæ docent verbo, firment exemplo. Quia: *verba movent, exempla trahunt.*

Fructus.

Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris. Matth. 18. *v.* 6.

Domesticis diligenter oportebit invigilare, nè iuventutem, verbo, aut exemplo, præsumant scandalizare. *Pater noster. Ave Maria.*

Lectio spiritualis.

QVamvis verum sit, etiam à malis Parentibus bonos subindè procreari filios, plerumque tamen accidit, qvod tritum proverbium dicit: *Mali corvi, mala ova.* Unde tametsi S. Josepho Angelus in Ægypto apparens expressè dixerit: *Surge & accipe puerum, & Matrem*

trem ejus, & vade in terram Iſrael: defuncti ſunt enim, qui quærebant animam pueri, Matth. 2. *v.* 20. Dum tamen audivit: *quòd Archelaus regnaret in Judæa pro Herode patre ſuo*, naturali horrore concuſſus, *timuit illo ire. ibid. v.* 22. Probabiliter exiſtimans: Filium crudeliſſimi infanticidæ, haud meliorem futurum patre ſuo. Et vice verſa: quamvis ex optimis Parentibus peſſimi nonnunquam naſcantur filij, quia tamen plerumque accidere ſolet: ut ſi boni ſint Parentes, bonæ etiam ſint eorum proles; Mulier illa *Lucæ* 11. *v.* 27. ex ſanctitate Chriſti, ſanctitatem Matris ejus non malè intulit, inquiens: *Beatus venter qui te portavit; & ubera, quæ ſuxiſti.* Quare autem filij ordinariè tales ſint, quales eorum Parentes, triplex potiſſimùm ratio reddi poteſt.

I. Qvia mali non merentur, ut bonos habeant filios; bonis autem hoc ſolatium ordinariè concedit DEUS, ut ſimiles ſibi videant proles ſuas.

II. Qvia & aviculæ juniores, *naturali*

impulſu, eô tonô ſolent cantillare, quem ſeniores aves conſveverunt obſervare.

III. Qvia virtutis iter arduum eſt, cui tenera iuventus ſe committere naturaliter timet, dum Parentes, *quos amat*, viâ alterâ incedere videt. Nec ſufficit, quòd ad amplectendam viam virtutis exhortationibus ab eis impellatur, nisì inſuper manuducatur, & ipſi viæ comites fiant atque ductores, qui ad eam eligendam fuerant hortatores. *Fruſtra enim perſtrepunt verba, ſi eis contradicant exempla.* Unde etiam, populum Iſrael admonere volenti Iſaiæ, præcepit DEUS: *Quaſi tuba exalta vocem tuam. Iſaiæ* 58. *v.* 1. ac ſi diſceret: *quæ doces verbo, firma exemplo.* Tuba enim, dum ore inflatur, manû ſuſtentatur, & denotat: verbis opera noſtra concordare debere, ſi fructuosè velimus alios admonere.

ME-

MEDITATIO XII.

De fiducia in DEI Providentia.

I. DEUS *omniſcius* eſt:
novit præſentes, & futuras omnes, neceſſitates noſtras.

II. *Omnipotens* eſt:
valet in cunctis providere nobis.

III. *Piiſſimus* eſt:
non deerit ſperantibus in ſe.

Fructus.

Dominus ſolicitus eſt mei. Pſ.39. v.18.

Socordiâ quidem DEUM non tentabo, in ipſum tamen præprimis ſperabo. *Pater noſter. Ave Maria.*

Lectio ſpiritualis.

MUlti Chriſtiani noſtri temporis, ſimiles ſunt illis Aſſyrijs, qui putabant: DEUM Iſrael DEUM eſſe montium, & non etiam DEUM vallium. *Dixerunt Syri: DEUS montium eſt Dominus, & non eſt DEUS vallium. 3 Reg. 20. v. 28.*

20. v. 28. Videntur enim ſibi imaginari: DEUM *Cœleſtium* tantùm, & *ſublimium bonorum* largitorem eſſe, *terrenorum* autem, non eſſe datorem. Unde hæc à DEO vix petunt, ſed Pſeudopoliticis principijs dementati, propriâ induſtriâ ea acquirere, & conſervare ſe poſſe credunt. Sed: *Tuum Domine Regnum --- tuæ Divitiæ, tua eſt gloria ---- tua ſunt omnia, 1 Paralip: 29. v. 11. 12. & 14. Non poſſumus ad* felicitatis *ſtaturam noſtram adjicere cubitum unum, Lucæ 12. v. 25* ſed nec *capillus de capite noſtro peribit*, ſinè voluntate tua. *Lucæ 21 v. 18.* tuæ igitur Providentiæ nos ſecurè committimus, tuæ Divinæ ordinationi utiliter ſubmittimus.

I. *Quia tu amas nos*: Qui ex nihilo feciſti, tuô ſangvine redemiſti, innumeris beneficijs prævenisti, & plura adhuc à te ſperare docuiſti nos.

II. *Quia tu ſolus noſti quæ deſint nobis*: Qvi ſolus potes providere nobis.

III. *Quia tu ſolus potes ex malis bona facere*: & omne quod timemus, in bonum noſtrum vertere. ME-

MEDITATIO XIII.

De reverentia Templis debita.

I. Templa: DEI ſunt Palatia, gratiæ ejus gazophylacia.
II. Divino cultui conſecrata, multipliciter privilegiata.
III. Meritoriè honorantur, non impunè violantur.

Fructus.

Domus mea, Domus orationis eſt. Lucæ 19. *v.* 46.

Confabulari, aut, tempore Divinorum, oculis hinc indè per templum vagari nec mihi ipſi, nec meis ſubordinatis impoſterum licebit. *Pater noſter. Ave Maria.*

Lectio ſpiritualis.

MIrantur aliqui: cur DEUS Paſtoribus Bethlehemiticis nativitatem Chriſti citiùs intimari fecerit, quàm alijs viris ſanctis, eo tempore viventibus?

Ipſis enim, nocte ipſa nativitatis Chriſti apparuit Angelus, inquiens: *Evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus eſt vobis hodie Salvator. Lucæ 2. v. 10. & 11.* cùm tamen, nulli virorum Sanctorum eo tempore degentium, quid ſimile accidiſſe legatur. Sed, ſi perpendamus quantopere DEUS honorem Templorum ſuorum zelet, & quantam Templis ſuis reverentiam exhiberi velit, facilè hujus rei cauſam intelligemus. Perſpicuum enim eſt: ſtabulum illud Bethlehemiticum, per Filij DEI nativitatem, in *Templum*, ſeu locum DEO ſacratum, transmutatum fuiſſe. Cùm ergo Paſtores iſti in vicinia paſcerent greges ſuos, & haud dubiè in ſtabulo illo ſubindè commorari ſolerent: voluit eos, *ſinè omni dilatione*, ipſa nativitatis nocte, de ſacratiſſimo illo myſterio ibidem conſummato præmonere DEUS: nè forte iterum eo convenirent, & non cum ea reverentia, quæ Templum DEI decet, ibidem ſe gererent. Qvàm Zelosè autem

tem DEUS honorem Templorum ſuorum defendat, & quàm ſeverè eos, qui in Templa peccant, punire ſoleat, patet:

I. Ex ſeveriſſima punitione Heliodori, qui, 2 *Mach.* 3. faſtuosè Templum Jeroſolymitanum ingreſſus, illud theſauro ſuo ſpoliare volebat. Et ex alijs ex emplis veteris legis.

II. Ex punitione, quâ Chriſtus ipſe punivit Judæos, in Templo nundinas inſtituentes. Neque enim ullum aliud ſcelus, *verberum inflictione* puniviſſe legitur *mitiſſimus JESUS*, præterquam ſolam Templi profanationem. Nec punitio illa levis fuit. Qvia tametſi S. Evangeliſta *Joannes cap.* 2. *v.* 15. dicat: eum ſolummodo de quibusdam funiculis feciſſe *quaſi flagellum*, ſuffecit tamen exiguum hoc inſtrumentum, *ab Omnipotente ejus brachio agitatum*, ad penetrandum duriſſimam pellem, & infringendum ferream cervicem Judæorum, ut ictus illos ſufferre non valentes, qua data porta è Templo properare,

perare, & præcipiti fuga ſibi conſulere debuerint.

III. Ex horrenda æternæ damnationis comminatione, quam profanatoribus Templorum, per os Apoſtoli ſui Pauli, minatur DEUS, dicens: *Si quis autem Templum DEI violaverit, diſperdet illum DEUS.* 1 *Cor.* 3. *v.* 17.

MEDITATIO XIV.

De Sacerdotibus honorandis.

I. Sacerdotes: ſunt *miniſtri Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum DEI.* 1 *Cor.* 4. *v.* 1.

II. Angelis poteſtate majores, Seraphinis officio digniores.

III. In ſortem Domini ſegregati, ſervitio illius deſtinati.

Fructus.

Qui vos ſpernit, me ſpernit. Lucæ 10. *v.* 16.

Sacerdotes *bonos*, æſtimabo; *malos*, ob Sanctitatem ordinis, honorabo.

Pater noſter. Ave Maria.

Lectio Spiritualis.

PRiusquàm de Sacerdotali dignitate, & plusquàm Angelica poteſtate, ac ejus, qui Sacerdotibus præſtari debet, honoris qualitate, tecum agam *Chare Lector;* indulge mihi quæſo, ut ſepoſito tantiſper calamo, miſeram ſortem meam priùs deplorem: qui præter ipſum Sacerdotij gradum, nihil honore dignum in me reperio, & tamen, *ob bonum tuum*, de honorandis DEI Sacerdotibus, tibi ſcribere debeo. Tu quidem meritum apud DEUM non perdis, etſi Sacerdos, ob ſua peccata, honore videatur indignus, quem ei impendis; quin imò, tantò majus præmium mereris, quantò magis Sacerdos *malus*, non ob meritum ſuum, ſed *ob characterem Sacerdotalem, & DEI præceptum*, à te cenſetur honorari; *aſt ego majoris damnationis reus efficior*, ſi, *malè vivendo*, Sacerdotij honore abutor, eúmque culpâ meâ profano. Quòd autem, non ſolùm *boni*, ſed & *mali Sacerdotes* ſint honorandi:

I. *Verbo & exemplo suo ipse nos docuit Christus:* qui, etiam perversissimis Pharisæis, ob Sacerdotij præeminentiam, honorem exhiberi voluit, & obedientiam. Honorem quidem: dum leprosum à se mundatum ad illos misit dicens: *Vade, ostende te Sacerdoti, & offer munus, quod præcepit Moyses, in testimonium illis. Matth. 8. v. 4.* obedientiam autem, cùm dixit: *super cathedram Moysi sederunt scribæ, & Pharisæi. Omnia ergo, quæcunque dixerint vobis, servate, & facite: secundùm opera verò eorum nolite facere. Matth. 23. v. 2. & 3.* Quin imò tam grave censebat Sacerdotes inhonorare, ut, qui atrocissima crimina, sibi falso objecta, tacendo dissimulavit, & crudelissima tormenta, quasi agnellus macello destinatus, sinè balatu subivit: dum in domo Annæ, *tanquam dignitatis Sacerdotalis contemptor*, percussus fuisset à servo, dicente: *sic respondes Pontifici? Joan. 18. v. 22.* non modò objecti criminis suspicionem à se removerit, sed insuper, quasi alapa illa, *hoc titulo*

tulo inflicta, gravior fuerit alijs tormentis, de *hac sola* conqvestus, dixerit: *si malè*, id est, irreverenter, *locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis? ibid. v. 23.*

II. *Docuerunt nos Sancti DEI:* qui dum adhuc in carne vivebant, Sacerdotes mirè honorabant. Inter qvos Sanctus Franciscus Seraphicus, *teste S. Bonaventura in ejus vita*, frequentiùs dicere solebat: *si Sacerdoti, & Angelo simul obviarem, Sacerdoti priùs, quàm Angelo, me inclinarem.* Nec mirum. Ipsi enim Angeli *Sacerdotium novæ legis* submissè venerantur, & Sacerdotibus primatum cedere, nullatenus gravantur. Cujus rei exemplum narrat Sanctus Franciscus Salesius, *relatus à R. P. Paulo Segneri, Parte 3. Christiani instructi, Discursu 24. n. 4.* de quodam Canonico suo: qui ob singularem vitæ innocentiam S. Angelo Custodi mirè familiaris, eundem visibili specie sibi præsentem habebat. Cúmque *Sacerdos* nondum esset: Angelus Custos, quoties per

per aliquam portam, ſeu locum aliquē anguſtiorem transeundum erat, Canonicum illum, utpote dignior, ſemper *antecedebat*, & in pari inceſſu *à dextris* ejus ambulabat; cùm autem Canonicus ille *Sacerdos* factus fuiſſet: ex tunc Angelus Cuſtos *non ampliùs eum antecedebat*, ſed præcedentiam eidem, quaſi digniori, ſemper relinquebat, & in pari inceſſu *à ſiniſtris* ejusdem imposterum incedebat.

III. *Ipſa ſvadet ratio.* Nunquam ſiquidem, omnibus retrò ſeculis, *teſte Baronio in Annalibus*, tam barbarus in Mundo exſtitit Populus, qui Sacerdotibus ſuis ſpecialem non detuliſſet honorem. Cùm enim naturali lumine cognoſceret: *Divinitatem aliquam coli oportere*; naturali etiam lumine cognoſcebat: *Divinitatis illius Miniſtros honorari debere.* Nunc autem, proh dolor! *Armatus videtur*, inquit Doctiſſimus Oleaſter, *Orbis omnis contra eos, qui ſe DEI miniſterio tradiderunt.*

ME-

MEDITATIO XV.

De Judicio temerario.

Qvi Judicare præſumit Proximum ſuum:

I. *Offendit graviſſimè Deum:* quia uſurpat ſibi, quod DEUS ipſe reſervavit ſibi.

II. *Exponit ſe manifeſto periculo erroris.* Quia non novit ſecreta cordis.

III. *Sæpenumero damnificat ſibi ipſi:* dum cogitur ſolvere de proprio, quod, nullô ſuô lucrô, temerè dempſit alieno.

Fructus.

Nolite judicare, ut non judicemini. Matth. 7. v. 1.

Excuſa intentionem ſi opus non potes, puta ignorantiam, puta ſubreptionem, puta caſum. S. Bernardus ſer. 40. Pater noſter. Ave Maria.

Lectio ſpiritualis.

QVibusdam nihil rectum videtur, quid-

quidquid Proximus operetur. Omnia enim ſiniſtrô oculô obſervantes, ſiniſtre interpretantur, ac in ſingulis factis, mali aliquid ſuſpicantur. Hujus autem ad obſervandum, & temerè judicandum, nimiæ proclivitatis eorum, triplex potiſſimùm ratio reddi poteſt.

I. *Quia ipſi ſunt mali.* Qui enim malus eſt, facilè etiam alium malum eſſe ſuſpicatur. Hinc, Lutherus: qui Monaſteria Monialium in lupanaria convertit, & in Luxuriæ fœcibus impudicus volutabatur: Sacerdotum Catholicorum cœlibatum audacter conviciabatur, & eosdem promiſcuè fornicarios, impudentiſſimè criminabatur. Cainus quoque, quia ipſe homicida erat, omnes homines homicidas futuros credebat, dicens: *Omnis igitur, qui invenerit me, occidet me. Gen. 4. v. 14.* Et damnatus Epulo, cùm à Lazaro, in ſinu Abrahæ quieſcente, opem deſideraret, non ipſum Lazarum, ſed Abrahamum inclamabat, dicens: *Pater Abraham, miſerere mei, & mitte Lazarum, ut intin-*

gat extremum digiti ſui in aquam, ut refrigeret lingvam meam. Lucæ 16. *v.* 24. Quia ſcilicet: cùm ipſe malus fuerit, & nec micas de menſa ſua decidentes viventi Lazaro faverit, malum etiam credebat Lazarum, qui, *animo ſe de eo vindicandi*, hoc obſequium ei eſſet denegaturus, nisì authoritate Abrahæ ad id compelleretur.

II. *Quia ſunt ſuperbi*: qui neminem ſe meliorem credunt.

III. *Qvia leves ſunt animo.* Quibus quælibet vana ſuſpicio, aut à garrulis, & inconſideratis hominibus facta relatio, ad condemnandum, & ſceleris arguendum proximum, ſufficiens apparet ratio. Quomodo Totila Gothorum Rex, *teste S. Gregorio lib. 6. Dialogorum, cap. 3.* cùm vidiſſet Sanctum Caſſium Epiſcopum Narnienſem in facie rubicundum, hâc futili apparentia illicò perſvaſus, bibulum eum credidit, & Sanctitati ejus injurius fuit.

Qvàm gravis autem apud DEUM ſit hæc levitas, & quantùm per illam

proximi lædatur charitas, docet nos Christus æterna veritas; dum *Ps.* 108. *v.*4. potiùs contra suos *detractores*, quàm contra ipsos conqueritur *crucifixores*, inquiens: *pro eo, ut me diligerent, detrahebant mihi.* Quasi, *ut bene observat S. Augustinus*, hoc plus ei doluerit, & omnis Judaicæ ingratitudinis summa fuerit.

MEDITATIO XVI.

De alienis peccatis occultis non propalandis.

Occulta peccata publicare, & publicando proximum diffamare:

I. *Est peccatum non facilè remissibile.* Quia quoad damnum emergens difficulter reparabile.

II. *Est peccatum à paucis curatum.* Quia à paucis bene consideratum.

III. *Est peccatum valde nocivum.* Qvia scandali causativum.

Fruc-

Fructus.

Qui sinè peccato est vestrûm, primus in illam lapidem mittat. Joan: 8. v. 7.

Falcem meam in messem alienam non immittam, qui in proprio campo quod metam habeo, & innumeris defectibus ipse scateo. *Pater noster. Ave Maria.*

Lectio spiritualis.

QVòd infernalis lupus, seu, juratus hostis noster Diabolus, subindè pellem ovinam assumat, & in Angelum lucis se transformando, incautos decipiat; Christo nos præmonente, & experientiâ ipsâ docente, comprobamus. Novit enim astutissimus serpens, venena sua celare, & sub specie boni illa propinare: ut tantò avidius hauriantur, quantò minùs observantur. Hæc autem fraus, vel maximè ab illo practicatur, dum in conversationibus publicis, aliorum peccata occulta propalandi, occasio datur. Tunc enim non raró, etiam illi, qui alioquin videbantur scru-

pulosi, tam laxi fiunt, & desidiosi: ut non modò licentiâ detractricis lingvæ se peccare non credant; sed insuper gloriæ DEI sibi in eo videantur Zelatores, in quo alienorum defectuum, culpabiles fiunt propalatores; juxta illud *Joan.* 16. v. 2. *Venit hora, ut omnis qui interficit vos*, seu (*quod morte ipsa acerbius est*) honore vestro exspoliat vos, *arbitretur obsequium se præstare DEO.* Sed advertere deberent ejuscemodi inconsiderati homines:

I. Id repugnare lumini naturali, dictanti: *Qvod tibi non vis fieri, alteri nè feceris.*

II. Hoc modo non corrigi defectus alienos, cùm talis indiscreta propalatio defectuum occultorum, normam præscriptæ à DEO correctionis fraternæ non teneat, & consequenter, fructuosa esse nequeat.

III. Per talem propalationem, *præsertim, si occulta illa peccata, quæ publicè alijs narrantur, à Sacerdotibus perpetrata dicantur*, grave scandalum generari, & in-

& insuper *Sacerdotalis ordinis contemptum, universaliter procurari*; ex quo audacia peccandi apud *Laicos* mirè crescit, & fervor Religionis valde tepescit. Cui malo jam olim, in veteri lege, obviare volens DEUS: quamvis pro singulis ferme *Laicorum peccatis*, particularia quædam assignaverit sacrificia, *pro peccatis tamen Sacerdotum, nulla ordinavit.* Nè scilicet, *ut pulchre observat doctissimus Oleaster, in cap.15. Num:* populus sciret peccata Sacerdotum, & exinde occasionem sumeret, *tantò audaciùs similia perpetrandi, & ob eadem perpetrata, Sacerdotes contemnendi.* Quò etiam respexisse videtur, æterna laude dignissimus, Romanorum Imperator Constantinus, qui, *teste Eusebio, Nicephoro, & Theodoreto*, ob bonum commune Religionis, in tantum peccata Sacerdotum occultari cupiebat, ut diceret: *si proprijs oculis viderem Sacerdotem peccantem, Chlamidem meam exuerem, & cooperirem eum, nè ab aliquo videretur.* Non quòd putaret; *majorem*

peccandi libertatem præstari debere Sacerdotibus ; aut hos majore compassione dignos esse: qui revera, coram DEO, multò magis culpabiles existunt, & pro peccatis suis, *multò graviores pœnas merentur*, *quàm Laici*: sed, ut scandala impediantur, quæ ex divulgatione Sacerdotalium peccatorum *per se oriuntur* ; & maximas strages in Ecclesia causant, dum, *extraordinario fœtore mali exempli* Laicos inficiendo, *faciliore successu*, pertrahunt in ruinam.

MEDITATIO XVII.

De Concionibus, & Spiritualibus exhortationibus, diligenter frequentandis.

Sacræ Conciones, diligenter sunt audiendæ:

I. Quia

I. Quia, in eis loquitur nobis DEUS: qui non ſolis Apoſtolis, ſed & Concionatoribus, *in officio prædicationis eosdem ſequentibus*, dixiſſe intelligitur: *qui vos audit, me audit. Lucæ* 10. *v.* 16.

II. Qvia, verbum DEI, eſt *gladius ſpiritûs, ad Eph. 6. v.* 17. quod dum negligitur, ſpiritualis armatura abjicitur, & fortalitium mentis robore præſidiario ſpoliatur.

III. Quia ab attenta *hujus, vel illius, determinatæ* exhortationis auſcultatione, quorumdam æterna pendebat ſalus, & noſtra æquè pendere poteſt. Ergo *quamlibet* periculosè negligimus.

Fructus.

Oves meæ vocem meam audiunt. Joan. 10. *v.* 27.

Dominicis, & feſtis diebus, auditione ſolius Miſſæ non contentabor, ſed concioni etiam intereſſe conabor. *Pater noſter. Ave Maria.*

Lectio Spiritualis.

QVòd non immeritò S. Paulus Apostolus 1 *ad Corinth.* 4. *v.* 13. conqvestus fuerit, dicens: *tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema.* Facilè intelligit, qui eum Principem concionatorum fuisse meminit. Eamdem enim querelam, etiam nostri temporis Concionatores innovare possent; quòd scilicet: cùm veritatem loqui, & vitia redarguere debeant, majori hominum parti facti exosi, à plurimis contemnantur, à multis odio habeantur, à paucis audiantur. Cùm tamen, sacras admonitiones, & legis DIVINÆ explanationes diligenter auscultare, *omnibus, cujuscunque statûs hominibus*, valde proficuum sit, & summè necessarium. Idqve triplici potissimùm de causa.

I. *Quia DEUS, ordinariè, vult homines docere per homines, & convertere per homines.* Cujus exemplum habemus in ipso Sancto Paulo, quem adhuc infi-

infidelem, *propriâ virtute quidem pros-ſtravit*, in fide autem, & lege ſua, *per ſe ipſum non inſtruxit*, ſed quærentem *quid ſe facere oporteret?* Damaſcum miſit ad Ananiam, dicens: *ibì dicetur tibi, quid te oporteat facere. Actor: 9. v. 7.*

II. *Quia, ſi quis ignorat, ignorabitur.* 1 *Cor.* 14. *v.* 38. hoc eſt: qui ea addiſcere non vult, quæ Chriſtianus ſcire tenetur, *reprobabitur â DEO*, & audiet aliquando, terribile illud: *neſcio vos. Matth.* 25. *v.* 12. In cujus rei figuram, cùm DEUS in lege veteri, omnia primogenita pecorum ſibi offerri, ſeu immolari, præcepiſſet: *ſolius aſinæ primogenitum repudiavit.* Et vel ove permutari, vel interfici mandavit, *Exodi* 13. *v.* 13. Spirituales ſiquidem aſini, quin imò, *primogeniti*, ſeu, maximi aſini omnium aſinorum dici merentur, qui ea, quæ ſalutem ſuam æternam concernunt, & quæ, ante reliqua omnia, ſcire deberent, nec ſciunt, nec ſcire curant. Hi ergo, nisi mutentur in oves, de quibus inquit Chriſtus *Joan.* 10. *v.* 27. *oves*

meæ vocem meam audiunt. h. e. nisi à Concionatoribus, & Catechiſtis, verbum DEI audire velint, & ea, quæ ad conſequendam ſalutem æternam ſcire debent, ſedulò addiſcant: *occidentur*, & libro vitæ non inſcribentur, cui non nisi *oves Chriſti*, inſcriptæ reperientur.

III. *Quia, etiam viri doctiſſimi, & in lege DEI inſtructiſſimi: qui aliena admonitione, aut inſtructione, ſe minimè indigere putant, ſubinde valde illâ indigent.* Nunquid enim David non ſatìs doctus, aut in lege DEI non ſatìs inſtructus erat? & tamen in luto peccatorum ſuorum tam diu hæſit, donec redargueretur à Nathan. 2 *Regum* 12. *v.* 13. Accedit: quòd ſæpè fallamur in opinione noſtra, & ſubinde putemus, nos in hac vel illa materia verſatiſſimos, & inſtructiſſimos eſſe: cùm interim idiotæ ſimus, & ignorantes. Id autem vel maximè verum eſt: *dum agitur de cognoſcendis proprijs defectibus*, tunc enim plerique *tantò magis ſunt cæci, quantò magis docti*; quia tantò magis ſuperbi, & exiſtimatione propria excæcati. ME-

MEDITATIO XVIII.

De Sacro-Sancto Missæ Sacrificio.

I. Sacrificium Missæ: est incruenta Filij DEI oblatio,
Vitæ & Passionis illius repræsentatio,
Ejus erga nos amoris rememoratio.

II. Offertur pro vivis, & defunctis,
Plurimùm prodest singulis, & cunctis,
Christo capiti charitate junctis.

III. Plus tamen prodest præsentibus,
Missam devotè audientibus,
quàm prosit absentibus.

Fructus.

Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus: & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda. Malachiæ 1. v. 11.

Die quolibet, Sacro-Sancto Missæ Sacrificio devotè interesse conabor. *Pater noster. Ave Maria.*

Lectio ſpiritualis.

DE quo ſibi olim valde gratulabantur Judæi, dicentes: *nec eſt alia natio tam grandis, quæ habeat DEOS appropinquantes ſibi, ſicut DEUS noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris. Devt. 4. v. 7.* De hoc, multò majore cum emphaſi, hodiedum ſibi gratulari poſſunt fideles Chriſtiani, qui DEUM ſuum die quolibet in templo præſentem invenire, & in Sacro-Sancto Miſſæ Sacrificio, eidem poſſunt inſervire. Idque triplici potiſſimùm de cauſa.

I. *Quia, taliter eidem aſſiſtendo, & Miſſam devotè audiendo, non modò eum ſibi benignè habent præſentem, ſed inſuper, multò largiorem* quam olim Judæi, *gratiæ ejus in ſe derivant torrentem.* Pro ipſis enim in eadem Miſſa ſpecialiter orat Sacerdos, per verba: *Et omnium circumſtantium* &c. & ipſi, unà cum Sacerdote, idem Sacrificium DEO offerre cenſentur; dicente eodem: *Suſcipe Sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus &c.* II. *Quia*

II. *Quia, orationes eorum, quas fundunt tempore Missæ, magìs efficaces fiunt ratione Missæ.* Cùm enim sacrificium hoc sit munus DEO gratissimum, & id ipsum, *ùt suprà dicitur*, non à solo Sacerdote, sed etiam *à præsentibus*, & cum eo *unum corpus morale efficientibus*, DIVINÆ Majestati offeratur; preces adstantium, quæ per se præcisè minùs efficaces essent, accedente tanti muneris oblatione, efficacissimæ fiunt, & ingens pondus acquirunt.

III. *Qvia, præcipua mysteria vitæ & passionis Christi, per Missam eis ad vivũ repræsentantur, ut ea gratô animô recolant, & de eorũ recogitatione, tantò magìs in spiritu proficiant.* Dum enim *Sacerdos sacras vestes in Sacrario induit*, sum̃us Pontifex, secundùm ordinem Melchisedech, Christus Dominus, in utero virginis carnem nostram assumpsisse, *& habitu inventus* fuisse *ùt homo*, intelligitur. Qui idem, divinissimus Sacerdos, *calicem accepit, & cum eo ad altare processit*, cùm ab ipso incarnationis instanti, usque ad aram

aram crucis, *vita ejus integra, passio fuit continua.* Dixit *introitum*, cum Neonatus infantulus primam vocem, similem alijs, emisit, plorans. *Gloria in excelsis Deo*, decantaverunt in ejus Nativitate Angeli. *Epistolam* intimatoriam adventûs ejus, prælegit tabellarius, & præcursor illius Joannes Baptista, dicens: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum Mundi. Joan.1.v.29. Evangelium* dixit ipse Christus, qui *iter faciebat per civitates & castella, prædicans & evangelizans regnum DEI. Lucæ 8. v. 1. Credo*, adjunxit Populus. *Joan.7.v.49. Sanctus*, seu, *benedictus qui venit in nomine Domini*, decantaverunt turbæ, in die Palmarum. *Matth. 21. v.9. Consecratio* facta est in cœna, *Elevatio* in cruce. *Memento* dixit latro pœnitens, *Lucæ 23. v. 42. Pater noster* recitavit Christus, dicens: *Pater dimitte illis &c. Lucæ 23.v.34. Pacem dedit*, dum Matri suæ valedicens, Joannem ei in filium adoptavit. *Sacram hostiam divisit*, dum inclinato capite, spiritum emisit. *Par-*

tem

tem illius calici immisit, dum ad limbum se ipsum demisit. *Agnus Dei*, & *Domine non sum dignus* in æquivalenti pronuntiârunt: qui de monte Calvario revertebantur: *percutientes pectora sua. Lucæ 23. v. 48. Sumptionem* peregit Joseph ab Arimathæa, qui sumpsit corpus JESU, *& posuit illud in monumento suo novo. Matth. 27. v. 60. Ite missa est*, intonuit Christus, dicens: *consummatum est. Joan. 19. v. 30. Benedictionem dedit*, cùm benedixit discipulos, ascensurus in cœlum, Lucæ 24. v. 51. *Ultimum Evangelium* Apostoli legerunt, dum illud, post ascensionem ejus, in universo Mundo prædicaverunt.

MEDITATIO XIX.

De frequenti, & devota, SS. Eucharistiæ sumptione.

Ad cœleste hoc convivium, devotè frequentandum.

I. Ipse

I. Ipse nos invitat Christus, dicens: *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis. Prov. 9. v. 5.*

II. Propria urget utilitas, quia: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Joan. 6. v. 52.*

III. Evidens compellit necessitas: *quô nostra sanetur infirmitas, &, contra insultus Diaboli, roboretur debilitas.*

Fructus.

Gustate, & videte quoniam suavis est Dominus. Ps. 33. v. 9.

Imposterum, ùt minùs, qvater per annum devotè communicabo. *Pater noster. Ave Maria.*

Lectio Spiritualis.

SEptem spicæ plenæ & formosæ, qvas *Gen. 41.* v. 5. in culmo uno pullulare conspexit Pharao: ad litteram quidem significabant panis abundantiam, per annos septem, in Ægypto futuram; mysticè autem denotabant septem

Sacra-

Sacramenta novæ legis, quæ ab uno eodémque culmo *Christo Domino* profecta, non vacua & egena elementa, ùt in lege veteri, sed plena gratiæ & virtutis, omnem Christianum Orbem, affluentiâ spirituali, toto temporis septennio, usque ad Mundi sabbatum & finem, pascent ac nutrient. Inter hæc autem, virtute, & cœlesti dulcedine, plurimùm excellit augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, *cujus* prorsus mirabilem *suavitatem*, inquit S. Thomas opusculo 50. *nullus dignè exprimere sufficit*, *per quod Spiritualis dulcedo in suo fonte gustatur.* Unde de illo bene intelligitur illud *Psalmi 80. v. 17. de petra melle saturavit eos.* hoc est: Divinam bonitatem, eos, qui ad hoc Sacramentum devotè accedunt, *de petra*, quæ, interprete Sancto Paulo, Christus ipse est, *Petra autem erat Christus.* 1 *ad Cor. 10. v. 4. melle*, seu dulcedine cœlesti, *omne delectamentum in se habente*, in quantum ipsi capere, seu desiderare possunt, ad plenam eorum saturitatem replere, & super explere.

plere. Dummodo tamen hæc tria ab ipsis fiant:

I. *Ut removeantur ea, quæ Sacramenti hujus ſvavitatem, & uberioris gratiæ influxum, impedire noſcuntur.* Præ primis autem, præmiſſo accurato examine, conſcientia mundetur per pœnitentiã, & omne virus peccati, per ſacramentalem confeſſionem, evomatur. Non enim ſtabit Arca DEI cum Idolo Dagon, nec in templo cordis noſtri fructuosè recipietur DEUS, dum, per malitiam peccati, adhuc in eo habitat Diabolus. Qvia Chriſtus ipſe, *Marci* 2. *v.*22. monet: *Nemo mittit vinum novum in utres veteres: alioquin dirumpet vinum utres.* Utì, non modò *ſpiritualiter*, ſed & *corporaliter*, contigit proditori Judæ, qui dum in ultima cœna, *novum vinum Eucharisticum, à vetuſtate peccati per pœnitentiam non renovatus, indignè ſumpſit*; paulò pòſt: *crepuit medius: & diffuſa ſunt omnia viſcera ejus. Actor.* 1. *v.* 18.

II. *Ut præmittatur præparatio debita.* Quæ cor noſtrum dignum faciat Chriſti

recepta-

receptaculum. Hujus autem præparationis modum docet nos Sunamitis illa, quæ volens Prophetæ Eliſeo manſionem congruam in domo ſua præparare, dicebat ad virum ſuum: *faciamus ergo ei cœnaculum parvum, & ponamus ei in eo lectulum, & menſam, & ſellam, & candelabrum. 4 Regum 4. v. 10.* per *candelabrum*, indicatur fides; per *lectulum*, denotatur requies à laboribus, curis, & negotijs ſæculi, ſeu, cor pacatum & devotioni intentum; per *ſellam*, ſignificatur præmeditatio futuri cœleſtis convivij; per *menſam* autem, fames, & ſpirituale deſiderium cibi hujus Diviniſſimi, deſignatur.

III. *Ut Cœleſte hoc convivium ſæpiùs accedatur*; quò fervor devotionis in nobis augeatur, &, per ejúſcemodi ſanctam hoſpitalitatem, Chriſtus magis devinciatur.

MEDITATIO XX.

De otio vitando.

I. Otium: eſt Mater vitiorum, peſtilens eruca bonorum, omnium origo malorum.

II. Pretioſi jactura temporis, ſchola magiſtri Dæmonis, ſepulchrum vivi hominis.

III. Molle pulvinar Diaboli, peſtis, & fuligio animi, quietum iter tartari.

Fructus.

Si quis non vult operari, nec manducet, 2. ad Theſſ. 3. v. 10.

Pro ratione ſtatûs mei, tempus mihi in ſingulas horas ità diſtribuam, ut ſemper honeſtè, & utiliter me occupatum videam. *Pater noſter. Ave Maria.*

Lectio ſpiritualis.

QVemlibet hominem, quantæcunq; dignitatis, aut præeminentiæ exiſtat, *pro ratione ſtatûs ſui* laborare, & otium

otium vitare debere, in ipſa primi hominis creatione, oſtendit DEUS: dum Adamum, quem univerſi Orbis Monarcham conſtituit, laborare nihilominus, & operari voluit, atque in Paradiſum voluptatis, eâ conditione, introduxit: *ut operaretur & cuſtodiret illum. Gen. 2. v. 15.* Unde S. Job, nulla inter nobiles & ignobiles facta diſtinctione, indiſcriminatim agit: *homo naſcitur ad laborem, & avis ad volatum. Job. 5. v. 7.* Qvamvis enim, non omnes idem deceat labor, ſed alius maneat ruſticos, alius viros honoratos; otium tamen vitare oportet omnes, ſive ſubditos, ſive Prælatos. Idque triplici potiſſimùm de cauſa.

I. *Qvia, qui otio ſe tradit, de vitio in vitium cadit.* Et præ primis quidem, homo otioſus, ordinariè fit homo libidinoſus. Dum, *ſicut aqua,* inquit S. Laurentius Juſtinianus, *lib. de perfect: grad. c. 9. quæ caret decurſu, ac jacet in foveis, putreſcit, ac humano uſui aliena efficitur, repletúrque animalibus venenatis*

ac noxijs: Ità & corpus otij tabe confectum, concupiscentiarum carnalium parit insaniam. Cujus exemplum habemus in Rege David, qui, quamdiù in bello se exercebat, libidinem nesciebat; ast postquam bellare cessavit, & in solario domûs Regiæ *otiosus obambulavit*, turpe adulterium perpetravit. 2.*Reg.* 11. *v.* 2. & 4. Salomon quoque filius ejus, tamdiù castus, quamdiù curis ædificij occupatus fuit, postquam autem, absoluto ædificio, quieti se dedit, mulieres adamavit, 3 *Reg.* 11. *v.* 1.

II. *Qvia, qui otio asvescit, illud deinceps deserere nescit. Grave* enim *malum*, inquit S. Chrysostomus, homil: 15. in Gen. *est otium, facitque ut facilia omnia videantur difficilia.*

III. *Quia, homo piger & otiosus, nemini proficuus, omnibus exosus.*

MEDITATIO XXI.

De vitandis peccandi occasionibus.

Occasiones peccandi nolle vitare, & tamen in peccatum se non casurum putare:

I. Est *actus summæ temeritatis*, humanæ immemor infirmitatis.

II. *Actus summæ superbiæ*, soliditatem obtendens, sanctitatis cujusdam super humanæ.

III. *Actus summæ stultitiæ*, contradicens summæ sapientiæ, dicenti: *Qvi amat periculum, in illo peribit. Eccl. 3. v. 27.*

Fructus.

Qui autem cavet laqueos, securus erit. Prov. 11. v. 15.

Infirmitatis meæ sedulò recordabor; &, nè iterum cadam, has N.N. occasiones vitare conabor. *Pater noster. Ave Maria.*

Lectio ſpiritualis.

D*Euteromij cap. 21. v. 12.* præcepit DEUS, ut Mulier Gentilis Hebræo nuptura: *radat cæſariem, & circumcidat ungves.* Hoc eſt, *ùt explicat Lyranus in moral:* Anima à peccatis per veram pœnitentiam ad DEUM reverſura, & Chriſto ſponſo ſuo deinceps *fideliter* adhæſura, non modò *radere debet cæſariem*, ſeu: *præterita vitia deponere*; ſed etiam *ungves præcidere*, hoc eſt: *peccandi occaſiones reſcindere*, quæ *veluti acutiſſimi ungves* illam denuo *cruentare poſſent*, & deformare. Idque triplici potiſſimùm de cauſa.

I. *Quia, quod ſecùs viam non ſeptam negligenter ſeminatur, à prætereuntibus plerumque conculcatur*; juxta illud *Lucæ* 8. *Aliud cecidit ſecùs viam, & conculcatum eſt.* Unde, ſi pericula non curamus, & viam Diabolo non claudamus, haud mirum erit, ſi ab eo nos ſuperari, & faſtuosè contingat conculcari. Multò enim difficilius videtur occaſiones

nes peccandi non vitare, & tamen peccatum non perpetrare, quàm rugienti leoni intrepidè obviare, & sinè armis illum debellare. Hinc Samson, cùm juxta vineam obviasset leoni, maluit cum illo pugnare, quàm eum declinando, vineam intrare, *Judic.* 14. *v.* 5. *&* 6. *cùm* enim Nazaræus esset, *cui uvas comedere non licebat*, *Num.* 6. *v.* 3. magìs timuit: nè, dum vineam intraret, & uvis appropinqvaret, gula eum superaret; quàm nè occurrens leo, illum devoraret.

II. *Quia, nisì occasiones peccandi diligenter vitemus priora peccata, certò certius repetemus.* Qui enim non vitat occasiones peccandi, affectum aliquem retinet ad peccatum, per quem, à Diabolo, in priorem facilè retrahitur statum. In cujus rei figuram *Exodi* 10. *v.* 11. Astutissimus Pharao, *plagâ locustarum perpulsus*, dimittere quidem voluit *viros Israel* de Ægypto, ut sacrificarent Domino, dicens: *ite tantùm viri, & sacrificate Domino*; uxores tamen, & proles eorum in pignus remanere,

 aut

aut ſaltem, eorum pecora in Ægypto retinere, cupiebat; haud vanè ſperans: eoſdem ob hæc, quibus affectuoſè adhærebant, in Ægyptum iterum rediturcs. Sed aſtutiam, ſimul & periculum, advertens Moyſes, non modò primam conditionem reſpuit, ſed nec ſecundam admittere voluit, dicens: *cuncti greges pergent nobiſcum: non remanebit ex eis ungula. ibid. v. 26.*

III. *Quia, eodem præcepto quô prohibemur peccare, proximas peccandi occaſiones jubemur vitare.* Quas dum liberè non vitamus, hoc ipſo legem DEI violamus. Et hinc, dum Evam in paradiſo interrogâſſet ſerpens: quare de fructu ligni ſcientiæ boni & mali non manducaret? Ipſa optimè reſpondit, dicens: *Præcepit nobis DEUS, nè comederemus, & nè tangeremus illud. Gen. 3. v. 3.* Quamvis enim in ſacris litteris non legatur DEUS *explicitè* prohibuiſſe Adamo & Evæ, etiam *tactum* prædicti fructûs, ſed ſolùm illius *eſum*, *Gen. 2. v. 17.* Quia tamen *eum tangere, & ori applicare,*

valde

valde periculoſum erat, & occaſionem proximam violandi præcepti præbebat; ea propter, in præcepto *non edendi*, meritò imbibitum intelligebatur præceptum, etiam *non tangendi*.

MEDITATIO XXII.

De peccato Mortali.

I. Peccatum Mortale: *eſt venenum fortiſſimum*; quia immortalis animæ occiſio.

II. *Monſtrum turpiſſimum*; quia, DEI, tam in ſe, quàm erga nos infinitè boni, enormis offenſio.

III. *Damnum graviſſimum*; quia, feliciſſimæ æternitatis amiſſio.

Fructus.

Miſerere mei DEUS, ſecundùm magnam miſericordiam tuam. Pſalm 50. v. 3.

Quinque vulnera Chriſti crucifixi devotè oſculabor, peccatorum meo-

rum veniam enixè precabor. *Pater noster. Ave Maria.*

Lectio spiritualis.

NOn caret fundamento suo, complurium Ascetarum opinio, asserentium: *cuivis homini, arcanô Divinæ Sapientiæ consiliô, quemadmodum numerum, & mensuram dierum: ità etiam, determinatam mensuram condonandorum peccatorum, præfinitam esse.* Quæ mensura, non est omnibus una; sed, quemadmodum præfinitam mensuram dierum, alij ipsa prima vitæ die quâ vivere incipiunt, alij autem, non nisì in ultima senecta adimplent: ità & hanc condonandorum peccatorum mensuram, quidam primô quô peccare cœperunt, quidam secundo, vel tertio, quidam autem, non nisì centesimo, aut millesimo, complent peccato. Sed, sive primô, sive centesimô aut millesimô peccato eam quis compleat: *quemadmodum semel completa mensura dierum, nulla jam homini conceditur vitæ dies, ità*

com-

completa hac condonandorum peccatorum mensura, ejuscemodi peccatori nulla jam conceditur peccatorum venia; sed Divina Justitia indubitanter prosilit ad ultionem. Et, vel ipso præfinitæ mensuræ completivi peccati momento, morte repentina, illicò è vivis tollit peccantem, vel, si morte repentina eum illicò non tollat, specialem tamen assistentiam, & auxilia gratiæ *efficacis* (quẽadmodnm post primum fratricidij peccatum Caino) ex tunc illi omnino denegat; quibus destitutus homo, veram de peccatis suis pœnitentiam non est acturus, sed finaliter impœnitens, certò certiùs æternum periturus. Juxta illud scripturæ: *super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor non convertam eum. Amos. 1. v. 3. Implete mensuram Patrum vestrorum.* Qua impleta: *Serpentes genimina viperarum, quomodo fugietis à judicio gehennæ? Matth. 23. v. 32. & 33. Necdum completæ sunt iniquitates Amorrhæorum usque ad præsens tempus. Gen. 15. v. 16.* Quem posteriorem scripturæ

turæ locum ſpecialiter expendens S. Auguſtinus, libro de vita Chriſtiana cap. 4. inquit: Nondum ſunt expleta peccata Amorrhæorum usque adhuc. *Quô exemplô manifeſtiſſimè inſtruimur, & docemur, ſingulos ſecundùm peccatorum ſuorum plenitudinem conſummari, & tamdiù, ut convertantur, ſuſtineri, quamdiù cumulum ſuorum non habuerint delictorum conſummatum.* Et paulò ſuperius: *Eſſe autem certum peccatorum modum, atque menſuram, DEI ipſius teſtimonio comprobatur. Et, quòd unusquisque vel celeriùs, vel tardiùs, prout peccatorum ſuorum modum expleverit, judicetur, evidentiſſimè quidem demonſtratur.* Cui ſubſcribens S. Ambroſius, ait: *DEI verba ſunt,* non ſunt completa peccata Amorrhæorum, *per quod oſtendit, menſuram quamdam eſſe delictorum.* Et, præter alios, etiam doctiſſimus Cornelius à Lapide, in cap. 5. Zachariæ, v. 6. aſſentitur, dicens: *Amphoram eſſe menſuram peccatorum cujusque tum hominis, tum populi, qua impleta,*

DEI

DEI vindicta prosilit ad ultionem. Hac ergo prorsus terribili, sufficiente tamen fundamento provisa, opinione præsuposita: considera jam, ô Christiane! in quàm manifesto æternæ damnationis periculo animam tuam constituas, quoties, ad perpetrandum quodcunque peccatum mortale, te resolvis. Si enim:

I. *Cuilibet homini*, quemadmodum mensura dierum, itá etiam *certa condonandorum peccatorum mensura à DEO est præfinita*, & hæc, *non omnibus una*, sed aliquibus *major*, aliquibus *minor* constituta credatur. Si:

II. *Tu ignoras quot peccata tibi DEUS, in arcano sapientiæ suæ consilio, condonare decreverit.* Et consequenter:

III. Certus non sis: *utrùm hoc ipsum peccatum, quod actu perpetrare intendis, non sit futurum mensuræ tuæ ultimum completivum, post quod veniam à DEO non ampliùs sis obtenturus, sed certò certiùs æternùm periturus.* Ah! quomodo tamen peccare potes? & tantæ incerti-

certitudini salutem tuam æternam exponere audes!

MEDITATIO XXIII.

De temeritate peccantis.

I. Peccator dum peccat; contemnit DEUM infinito dignum honore: dum spernit legem, *vidente Legislatore*, & conculcat pretium redemptionis, Christi sangvinem, *præsente Redemptore.*

II. Immemor nativæ vilitatis, subditus esse renuit infinitæ DEI majestatis, eámque, Physicô concursû, suis servire cogit peccatis.

III. Nec de cœli curat delicijs, nec æquè judicat de Orci supplicijs, sed ruens in malum cursu præcipiti: *illicitæ voluptatis fruiturus melle modico, satiari non timet æterno toxico.*

Fructus.

Fructus.

Tibi soli peccavi, & malum coram te feci. Ps. 50. v. 6.

Cùm opportunissimum, contra Diabolicas tentationes remedium, sit fervens oratio: *orate, ut non intretis in tentationem. Matth. 26. v. 41.* hæc autem, efficacior sit in templo, seu *in domo orationis*, efficacissima verò, sub incruento Missæ Sacrificio; dum scilicet: oblatione Sacro-Sancti corporis & sangvinis Dominici, placatâ DEI Justitiâ faciliùs consequi possumus Misericordiam. Ea propter: quoties deinceps eidem Sacrificio adfuero, toties, *dum per Sacerdotem corpus & sangvis CHRISTI elevabitur:* eo, profundissimâ humilitate, adorato, in hunc modum, præsentem ibi alloquar Salvatorem: *O super omnia dilecte JESU! qui dixisti: si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum, Joan. 12. v. 32. accipe quæso, & attrahe cor meum, ut imposterum constanter diligam te, & priùs mo-*

Joannes Madeyski.

riar, quàm peccando dividar à te. Pater noster. Ave Maria.

Lectio Spiritualis.

INter innumeras Idololatriæ ſpecies, quibus, cæca Mortalitas DEOS ſibi finxit: & adoravit; prima fuit adoraotium *Solem ſimul & Lunam.* Quæ dein', tractu temporis, in duas diviſa eſt ſectas: dum alij prætermiſſo *Solis* cultu, ſolam adorabant *Lunam*, alij neglectâ *Lunâ*, venerabantur *Solem.* Hujus autem diviſionis, *teſte Sancto Cyrillo Jeroſolymitano Catech.* 4. hæc cauſa fuit: ut qui adorabant Solem, *occidente Sole, noctis tempore ſinè DEO eſſent*, qui autem adorabant Lunam, *de Die DEUM non haberent.* Homines enim iſti *ſimul DEUM habere*, & *ſimul peccare volebant*; cúmque intolerabile putarent: *à DEO ſuo videri*, *& ſimul eum offendere*; ut tempus peccandi haberent, diviſerunt tempus, & DEOS ſuos: Quíque *Solem* adorabant, poſt occaſum Solis, *noctu peccabant*, qui autem

autem adorabant *Lunam*, peccabant *de Die*. Sed, ô anima mea! *ſicut tenebræ ejus, ità & lumen ejus. Pſ.138.v.12.* DEUS tuus quem adoras, tam bene te peccantem videt de nocte, quàm videat de die. *Palpebræ* enim *ejus interrogant filios hominum. Pſ.10.v.5.* & tunc etiam, quando oculos clauſos, *ſeu palpebris tectos*, habere videtur, intima cordis noſtri claré intuetur; cave ergo: nè, quod Ethnici horrebant, tu præſumas, & *in conſpectu DEI tui peccare audeas.* Cave, nè minùs apud te poſſit fides tua, quàm poſſet oculus tuus, & quæ infinitam illius majeſtatem præſentem ſi videres, offendere non auderes; præſentem fide credendo, nè contemnas peccando. Scito enim:

I. Te peccare, in conſpectu *Judicis tui.* Qui poteſtatem habet, ipsô peccati momentô, *te mittere in gehennam. Lucæ 12. v. 5.*

II. In conſpectu *ſummi Benefactoris tui.* Qui tibi tanta præſtitit, & propriô te redemit ſangvine.

III. In conſpectu *amantiſſimi Patris tui.* Qui amore infinitô dilexit, & diligit te.

MEDITATIO XXIV.

De pœnis peccati Mortalis.

I. *Unicum peccatum mortale :* è Cœlo ejecit Luciferum : & omnes ei adhærentes.

II. Innumeris ſubjecit miſerijs Adamũ: & omnes ab eo deſcendentes.

III. Æternis involvit ignibus: omnes in eo morientes.

Fructus.

Principium ſapientiæ : timor Domini. Prov. 9. v. 10.

Nè Divina ultio me præveniat, in his N. N. vitam meam veraciter emendabo, & nunquam ampliùs eadem iterabo. *Pater noſter. Ave Maria.*

Lectio Spiritualis.

Proprijssimus quidem titulus peccati mortalis ille est, quem ipsi tribuit S. David. *Ps.* 18. *v.* 13. dicens: *ab occultis meis munda me.* Eò quòd, omne peccatum mortale tantæ sit malitiæ essentialis, ut hæc capacitatem intellectûs creati excedens, omnibus sit *occulta*, solíque intellectui Divino *perfectè nota*, qui solus, infinitam Majestatem suam per peccatum offensam, comprehensivè cognoscit. Nè tamen similes simus illis, de quibus conqueritur Spiritus Sanctus *Proverb.* 19. *v.* 28. inquiens: *Os impiorum devorat iniquitatem*, hoc est: absque prævia masticatione, seu consideratione, peccatum deglutiunt peccatores, *& bibunt velut aquam iniquitatem;* cujus quidditatem comprehendere non valemus, saltèm effectus, & pœnas illius, paulisper consideremus, ut ità, prægustata quodammodo amaritudine pœnæ peccati, illud tantò diligentiùs vitemus, quantò magis pœ-

nas illius horremus. Hæ autem ſunt ſequentes:

I. Intellectûs cœcitas: *Et ipſi nihil horum intellexerunt. Lucæ 18. v. 34.* Voluntatis perverſitas: *Senſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua. Gen. 8. v. 21.* Sterilitas terræ: *Poſuit flumina in deſertum, & exitus aquarum in ſitim; terram fructiferam in ſalſuginem, à malitia inhabitantium in ea. Pſ. 106. v. 33. & 34.* Peſtis: Fames: Bellum: *Et perſequar eos in gladio, & in fame, & in peſtilentia --- eò, quòd non audierint verba mea. Jeremiæ 29. v. 18. & 19.* Morbi: *obſerva diligenter nè incurras plagam lepræ. Deut. 24. v. 8.* id eſt; nè incurras *peccatum*, propter quod infligitur *pœna lepræ, & omnes morbi.* Brevitas vitæ: *Timor Domini apponet dies: & anni impiorum breviabuntur. Prov. 10. v 27.* Mors corporis: *per unum hominem peccatum in hunc Mundum intravit, & per peccatum mors, ad Rom: 5. v. 12.* Mors animæ, ſeu privatio gratiæ Divinæ: *Quocunque enim die comederis ex*

eo,

eo, morte morieris. Gen. 2. v. 17. Et denique, omnia mala mundi: *Transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum. Propter hoc maledictio vorabit terram. Isaiæ 24. v. 5. & 6.*

II. Gignit conscientiæ vermem: *Occidi virum in vulnus meum, & Adolescentulum in livorem meum. Gen. 4. v. 23.* Hominem in bestiam mutat, dum bestiales affectiones in eo prædominari facit: *comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis. Ps. 48. v. 21.* Diabolo similem reddit: *Ego Ecclesiastes fui Rex Israel in Jerusalem. Eccles: 1. v. 12.* quod Chaldæus vertit: *Ego Asmodæus fui Rex Israel in Jerusalem.* Quasi dicat, ex mente interpretis Chaldæi, Sapientissimus Solomon: quando in luxuriæ fœcibus hærebam, *non hominis præferebam imaginem* ad DEI similitudinem facti, sed *Dæmonis Asmodæi* imago eram, *qui lasciviæ & incontinentiæ præpositus dicitur.* Totum perturbat Orbem terrarum: *Regnum à Gente in Gentem transfertur propter injustitias. Eccles. 10. v. 8.*

III. Aures Divinas obſtruit, nè audiant deprecationem peccatoris: *ſcimus autem, quia peccatores DEUS non audit. Joan. 9. v. 31.* Omnes labores humanos præmio æterno indignos reddit; id enim figurabat nocturna piſcatio diſcipulorum, dicentium: *Per totam noctem laborantes, nihil cepimus. Lucæ 5. v. 5.* ubi *per noctem*, ſtatus peccati, ſeu carentia luminis gratiæ Divinæ, ſignificabatur. Bona opera antecedenter facta, unô rictû abſumit, quaſi nunquam exſtitiſſent: *non enim qui operantur iniquitatem, in vijs ejus ambulaverunt. Pſ. 118. v. 3.* quaſi dicat: *qui peccant, nihil unquam boni fecerunt.* Hoc eſt: tam parum illis priora eorum bona opera proſunt, acſi illa nunquam feciſſent; quia hæc dicit Dominus: *Si autem averterit ſe juſtus à juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem --- omnes juſtitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur. Ezech. 18. v. 24.*

ME-

MEDITATIO XXV.

De vitio Superbiæ.

Quid ſuperbis *terra & cinis? Eccles:* 10. *v.* 9.

I. Qui quod *es*, non à te ipſo, ſed à DEO es, & niſi in ipſo, nihil es: *in ipſo enim vivimus, movemur, & ſumus. Actorum* 17. *v.* 28.

II. Qui quod *habes*, non à te ipſo, ſed à DEO habes, & niſi ab ipſo, nihil habes: *quid autem habes, quod non accepiſti?* 1. *ad Cor.* 4. *v.* 7.

III. Qui quod *potes*, in ipſo potes, & ſinè ipſo nihil potes: *ſinè me nihil poteſtis facere.* Joan. 15. v. 5.

Fructus.

DEUS ſuperbis reſiſtit. Jacobi 4. *v.* 6.

Dum ſuperbæ cogitationes caput meum turbabunt, ad eas propulſandas, cinere, aut terræ pulvere, in modum crucis me ipſum ſignans, dicam: memento homo *quia pulvis es, & in pulve-*

 rem

rem reverteris. Gen. 3. v. 19. *Pater noster. Ave Maria.*

Lectio spiritualis.

PEssima hæreditas à Protoparente nostro Adamo nobis relicta, *Superbia est.* Vi cujus, innatô quodam pruritû, semper in altum nitimur. Et quemadmodum ipse Protoparens noster, quãvis totius universi Monarcha à DEO constitutus esset, adhuc nihilominus altiùs semper eluctari, ac tandem ipsi DEO assimilari volebat: *eritis sicut Dij.* Gen. 3. v. 5. & 22. ità plerique nostrûm, sorte sua nunquam contenti, altiorem semper honoris gradum ascendere cupiunt, & *non est finis acquisitionis eorum:* Baruch. 3. v. 18. quia *superbia eorum - - - ascendit semper.* Ps. 73. v. 23. Cùm tamen revera non sit cur superbiamus, quin potiùs, sub potente manu DEI, nos omnimodè humiliare debeamus.

I. Recogitando: *quid fuerimus ante pauculos annos?* Dum ex nihilo creati, in Sordibus nati, laboriosissimè educa-

ti,

ti, maximis miſerijs eramus impliciti. Talis enim prioris miſeriæ humilis recogitatio, ſuperbiam domat. Quod bene ſciens Pharao, fratribus Joſeph, quos de terra Chanaan in Ægyptum invitabat, ut omnem ſupelléctilem ſuam pariter in Ægyptum adferrent, providè mandabat, dicens: *Properate quantocyùs venientes, nec dimittatis quidquam de ſupellectili veſtra: quia omnes opes Ægypti veſtræ erunt. Gen. 45. v. 19. & 20.* Non quaſi, *his paupertatis exuvijs*, opus ſint habituri, *qui omnes Ægypti divitias erant adepturi*: ſed, ut *attritos illos centones*, & reliquam pauperculam ſupellectilem, quâ in terra Chanaan utebantur, apud ſe retinentes, & ſubindè intuentes, *primævi ſtatûs ſui admonerentur, &, occaſione præſentis exaltationis, ſuperbiâ non inflarentur*: ſed in humili gratiarum actione, præſtitæ ſibi à Pharaone gratiæ, tantò fructuoſiùs recordarentur. Moyſi etiam, quem Ducem Populi Iſrael conſtituit DEUS, *illam ipſam virgam*, quâ

priùs gregem Soceri sui pascebat, in sceptrum dedit, *Exodi* 4. *v*. 17. ut eam præ oculis habendo, *prioris status sui non oblivisceretur*, & occasione *præsentis prælationis*, superbiâ non extolleretur.

II. *Quid simus defacto?* Quò magis enim In hoc Mundo honorati, potentes, Nobiles, & divites sumus: tantò majorem causam humilitatis, & timoris, habemus; quia: qui coram Mundo primi, hi coram DEO solent esse ultimi, juxta illud *Deut*. 28. *v*. 43. *Advena, qui tecum versatur in terra, ascendet super te, eritque sublimior: tu autem descendes, & eris inferior*. Advena autem, peregrinus, & ignotus Mundo est, qui ab eo non curatur, spernitur, ignoratur, ut *pauper, rudis, ignobilis* &c. Civis verò Mundi vocatur, qui Mundum amat, & ab eo amatur, possessionibus augetur, commoditatibus providetur.

III. *Quid futuri simus deinceps?* Finitâ enim vitæ scenâ, mors omnes æquabit. Et, quemadmodum *vivens* David, *Rex & Dominus* in Sacra Scriptura

passim

passim vocatus, *post mortem suam*, jam non *Rex*, sed *David tantùm* fuit appellatus: *Dormivit igitur David cum Patribus suis, & sepultus est in civitate David. 3. Reg. 2. v. 10.* Ità & nos, quacunque demum prærogativâ in hoc misero Mundo insigniti, postquam tandem è vita cesserimus, plebeis cineribus similes erimus.

MEDITATIO XXVI.

De vitio Ingratitudinis.

I. Vitium Ingratitudinis: est *vitium valde commune*, quia toto Orbe impune.

II. *Vitium summè nocivum*: quia ulterioris beneficentiæ præclusivum.

III. *Vitium plusquàm brutale:* quia ipsis bestijs contrà-naturale.

Fructus.

Grati estote. ad Coloss. 3. v. 15.

Pro acceptis beneficijs, tam DEO, quàm

quàm hominibus, me gratum exhibebo. *Pater noſter. Ave Maria.*

Lectio Spiritualis.

NEfario ingratitudinis vitio, *inqvit Seneca*, nulla ab humanis legibus pœna conſtituitur. Eò, quòd vel totus ferè terrarum Orbis, hôc vitiô infectus, alioquin puniri deberet; vel certè, hujus immanis vitij tantus ſit reatus: ut condigna ei pœna ab homine nequeat excogitari, ſed Divinæ potiùs ultioni debeat reſervari. Quòd autem totus penè terrarum Orbis hôc morbô laboret, figura jam olim præceſſit in decem illis leproſis, à Chriſto Domino, *Lucæ* 17. mundatis. De quibus ipſe dixit: *nónne decem mundati ſunt, & novem ubi ſunt? non eſt inventus qui rediret, & daret gloriam DEO, nisì hic alienigena.* Ubi redeuntem illum, non ideo tantùm *alienigenam* vocaſſe videtur, quòd non *Judæus*, ſed *Samaritanus* fuerit; ſed vel maximè ideo: quod à conſvetudine totius ferè ter-

terrarum Orbis *alienus* effectus, gratiam pro gratia reddens, *contra patrium morem aliorum hominum*, gratum se stiterit, gratiæ largitori. Cur autem plerique pro acceptis beneficijs ingratos se exhibeant, triplex potissimùm ratio reddi potest:

I. *Quia, plerique homines, beneficia sibi præstita non agnoscunt.* Ut v.gr. *morbos, calamitates, infortunia, & cruces diversas*, pro eorum correctione à DEO immissas; has enim, potiùs hostiles incursus, quàm cœlestis gratiæ putant decursus.

II. *Quia, agnita beneficia non multùm curant, quæ meritis suis debita putant.* Uti Propheta Jonas, qui lætatus quidem fuit cum hedera super caput ejus excrevit, & umbram ei præstitit, *Jonæ* 4. *v.* 6. DEO tamen, ob tam miraculosum beneficium, gratias non agebat, quod fortè meritis suis debitum credebat.

III. *Quia, non ipsi Benefactori, sed alijs causis ea assignant, aut propriæ industriæ*

falso

falſo adſcribunt. Hæc autem maxima eſt ingratitudo, quam ſummoperè deteſtabatur *S. Job. c.* 31. v. 26. & 27. inquiens: *Si---- oſculatus ſum manum meam ore*, hoc eſt: ſi mihi ipſi blandiendo, bona opera mea, viribus meis naturalibus me effeciſſe dixi, *quæ eſt iniquitas maxima, ibid.* v. 28. quia, *ingratitudo maxima.*

MEDITATIO XXVII.

De vitio Gulæ & Ebrietatis.

Gula & Ebrietas:

I. Mater eſt Luxuriæ,
Soror Acediæ,
Nutrix diſcordiæ.

II. Filia Otioſitatis,
Præambula Paupertatis,
Hoſtis ſanitatis.

III. Cerebri confuſio,
Stultiloquij occaſio,
Hominis in beſtiam transmutatio.

Fruc-

Fructus.

Retribuebant mihi mala pro bonis. Ps. 34. v. 12.

Donis DEI non ampliùs abutar contra DEUM, ad offendendum eum. *Pater noster. Ave Maria.*

Lectio Spiritualis.

VErum quidem dixit Architriclinus *Joan:* 2. v. 10. iniquiens: *Omnis homo primum bonum vinum ponit: & cùm inebriati fuerint, tunc id, quod deterius est.* Eò, quòd, tametsi omnes homines *duplicia vina* proponenda non habeant: omne tamen vinum, *quantumvis unum idémque existat: quò diutiùs proponitur & largiùs hauritur, eo deterius efficiatur:* dum *vitio Ebrietatis, in causam mutatur omnigenæ perversitatis.* Sed nec minùs verum dixit, Spiritus Sanctus *Deut.* 32. v. 15. iniquiens: *Incrassatus est dilectus, & recalcitravit: incrassatus, impingvatus, dilatatus, dereliquit DEUM factorem suum.* Intemperantia enim *voracitatis*, germana est

Soror

Soror *Ebrietatis*, huic ſangvine juncta, & mali proprietate ab ea non disjuncta. Idque triplici potiſſimùm de cauſa.

I. *Quia, utraque hæc ſuperfluitas, quamvìs ſanitatem corporis deſtruat, petulantiam tamen* carnis mirè confortat. Quod enim *Iudicum* 6. v.38. & 40. viſum eſt contingere in vellere Gedeonis, id paſſim contingit in anima. Cùm cecidit ros *in vellus*, tunc area circumjacens ſicca fuit; cùm autem ros cecidit *in aream* vellus ſiccum, & aridum remanſit. Ità, ſi per ſubtractionem ſuperfluorum, areſcat terra carnis noſtræ, vellus animæ cœleſti perfunditur rore gratiæ. Si verò caro noſtra madeat Ebrietate, & cibi potúsve impingvetur ſuperfluitate, deficiunt vires animæ, & Spiritus petulantiam carnis frænare nequit, quin in omne vitium feratur, & frænô rationis ſe ſtringi non patiatur. Unde, quemadmodum Angelus cum Patriarcha Jacob luctans, ut eum ſuperaret, *nervum femoris ejus tetigit*, ex quo femur emarcuit, & Jacob,

qui

qui è nervis ad luctandum vires sumebat, claudicare & deficere incipiebat. *Gen. 32. v. 25.* Ità & Spiritus, si carnis petulantiam frænare velit: tangere illam debet in *ventre*, seu *in nervo fortitudinis suæ*, & subtrahere voluptati, quod superfluit necessitati; tunc enim claudicabit caro, & passiones illius superabiles erunt.

II. *Quia, utraque Luxuriam incendit.* Dum, ut bene observat S. Hieronymus, *Venter mero æstuans, citò despumat in libidines.* Et S. Basilius lib. de vera Virginitate, inquit: *Ventre enim distento epulis, necesse est ea, quæ sub ipso sunt, membra, ex humoris redundantia in profundo ferventis, ad propria & naturalia officia moveri; quippe superior venter suppetit illis incentiva libidinis.*

III. *Quia, utraque ad quodlibet vitiū perpetranaum hominē audacem facit.* Ut proinde Anna, Samuelis Mater, non immeritò Ebrios *filios Belial*, hoc est: *filios absq; jugo*, seu, *filios effrenes*, nominari debere putaverit, & Sacerdoti Heli, qui eam

Ebrietatis arguebat, aptè reſponderit, dicens: *nè reputes ancillam tuam quaſi unam de filiabus Belial. 1. Reg. 1. v. 16.* Et S. David, non abs re, omnem malitiam populi Judæorum, *adipſi*, ſeu, *pingvedini*, per ſaginationem voracitatis acquiſitæ, adſcripſerit, dicens: *prodijt quaſi ex adipe iniquitas eorum. Pſ. 72. v. 7.* Quia: caro *Ebrietate* madida, & *epulis* impingvata, omnem malitiam excogitare nata.

MEDITATIO XXVIII.

De vitio Avaritiæ.

I. *Aváro, nihil eſt ſceleſtius*, quia: *& animam ſuam venalem habet. Ecclèſ. 10. v. 10.*

II. *Nihil crudelius*, quia: *ut multiplicet opes, vivos excoriat pauperes.*

III. *Nihil veſanius*, quia: *congregat laboriosè, quod moriens deſerat dolorosè.*

Fructus.

Avarus non implebitur pecuniâ. Eccleſ. 5. v. 9.

Hodie

Hodie largiorem eleemosynam pauperibus erogabo. *Pater noster. Ave Maria.*

Lectio spiritualis.

OMnes quidem peccatores cæci sunt, quia lumine gratiæ Divinæ destituuntur. Si tamen, quis eorum magis cæcus sit, quæratur: haud malè Avarus indigitatur. Avaro enim, non solùm divitiæ, quæ bonæ non sunt, bonæ falsò videntur: sed etiam curæ & angustiæ divitiarum, quæ ipsi bonæ non videntur, pro bonis, & exoptabilibus, ab eo habentur. Atque ità pessimo labore præ ceteris occupatur, & in majore damnationis periculo, infelix versatur. Idque triplici potissimùm de causa.

I. Quia, ut ait *Apostolus 1. ad Timoth. 6. v. 9. qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli.* Sensim enim, invalescente cupiditate, intantum excæcatur mente Avarus, ut amore pecuniæ, & terrenæ possessionis adipiscendæ gratiâ, nullum scelus per-

petrare timens: nec Justitiam, nec conscientiam, nec animam, quin nec Christum ipsum, instar Judæ proditoris, vendere abhorreat.

II. Quia affectus Avaritiæ, non modò *mente*, sed & *corpore*, intantum excæcare potest hominem, ut, à se ipso totus alienus effectus, præ cupiditate nec sciat, quid faciat. Exemplum habemus in Ariolo Balaam, qui *Num. 22.* cupiditate promissi sibi à Rege Balac auri dementatus, strata, conscensáque asina sua, ad maledicendum populo Israel properabat. Et tametsi ab Angelo, qui *corporea*, seu *visibili* assumpta specie, eidem occurrerat, progredi strictô gladiô prohiberetur, asinam tamen suam, quæ viso Angelo gressum retrahebat, ad progrediendum, multâ verberatione, impellebat; quia scilicet, *cupiditate promissi auri excæcatus*, minùs quàm asina videns, *quem illa cernebat, ipse prohibentem Angelum aut non videbat, aut videre non volebat.* Quin imò, etiam postquam asina, stupendo prorsus miracu-

lo

lo, articulatâ voce loqui incepiſſet, tanta novitate nihil motus, quia à ſe ipſo alienus totus, mortem aſinæ minatur, niſi illicò progrediatur: *Utinam haberem gladium, ut te percuterem!* Ergo, reponit beſtia: *Nonne animal tuum ſum, cui ſemper ſedere conſveviſti usque in præſentem diem? ibid. v.* 30 Quaſi diceret: Cur me vis occidere, quæ jumentum tuum ſum, quô occisô, *te ipſum damnificabis*, & *utili* obſequio meo privabis? & ecce! quem *nec Angelus, viſibili ſpecie apparens*, à propoſito abſterrere, *nec miraculum loquentis aſinæ, ad rationis tramitem poterat revocare*, dum audit: *utilitati ſuæ* occiſionem beſtiæ repugnare, eam *ex tunc* mitiùs incipit tractare. Statímque aperti ſunt oculi ejus, *& vidit Angelum ſtantem in via. ibid. v. 31.* O maledicta habendi, & poſſeſſa conſervandi cupiditas! quanta efficis mala! quanta impedis bona! quàm efficaciter perſvades hominibus, quæ, te ſecluſa, nec ipſe perſvaſiſſet Diabolus.

 III. Quia

III. Quia Avaritia, majorem quàm alia ſcelera relationem habet ad infernum, eíque prorſus ſimilis exiſtit; quæ, non ſecùs ac infernus, nunquam dicit: *ſufficit.* Huic ergo dum locum in corde damus, & eam initiò non domamus, illa ſenſim cum annis creſcit, &, niſi in inferno, terminari neſcit. Quod ipſi quoque Gentiles aliquomodo obſervâſſe videntur, qui DEO Avaritiæ, infernum pro domicilio, aſſignârunt.

MEDITATIO XXIX.

De vitio Luxuriæ.

Peccatum Luxuriæ:

I. *Eſt peccatum turpiſſimum*, quod, ſi reveletur, pudore ſuffundit hominem, quantumvis impudentiſſimum.

II. *Eſt peccatum communiſſimum*, quia carni noſtræ acceptiſſimum.

III. *Eſt peccatum periculoſiſſimum*, quia emendatu difficillimum.

Fructus.

Fructus.

Pepigi fœdus cum oculis meis, ut nè cogitarem quidem de Virgine. Job. 31. v. 1.

Non solùm *proximas*, sed etiam *remotas occasiones* hujus sordidissimi, & periculosissimi vitij, diligenter vitabo, & corporis mei sensus pro posse frænabo. *Pater noster. Ave Maria.*

Lectio spiritualis.

PRotoparentem nostrum Adamum, absque peccati fomite in statu innocentiæ creatum, & copiosissimis naturæ ac gratiæ donis vallatum, atque in Paradiso terrestri à DEO ipso collocatum, *amor fœminæ ab indè ejecit*, dum nolens blandientem contristare, oblatum ab ipsa pomum nescivit recusare, & svadente ipsa, præsumpsit manducare. *Gen. 3. v. 6.* Qui idem inordinatus amor, *impuro insuper junctus amori*, majorem etiam posteritatis ejus partem hodie-dum usque cœlo excludit, & in infernum detrudit. Idque triplici potissimùm de causa.

I. Quia, ejuscemodi amor, seu *peccatum Luxuriæ*, est unum ex tribus universalissimis vitijs, quibus totus scatet terrarum Orbis; juxta illud: 1. *Joan.* 2. *v.* 16. *Omne, quod est in Mundo, concupiscentia carnis est*, id est: Luxuria, *& concupiscentia oculorum*, id est: Avaritia, *& superbia vitæ*, seu: Arrogantia. Inter quæ, concupiscentia carnis *primo nominatur loco*, quia *primatum* in eis obtinet, & plurimos perdit. Ut proinde S. Remigius *in cap.* 1. *Epist: ad Rom:* indubitanter dixerit: *Demptis parvulis, paucos propter hoc vitium salvari.*

II. Quia, facillimus in illud est descensus: *eò, quòd*, ùt suprà citatus ait S. Remigius: *hæc pestis*, seu potiùs propensio in illam, *connaturalis nobis sit.*

III. Quia, valde difficilis ab eo est regressus; juxta illud *Lucæ* 14. v. 20. *Uxorem duxi, & ideo non possum venire.* Ubi quidem, *Uxoris nomine*, status Matrimonij nequaquam reprobatur, nec ejusdem licitus usus aliquatenus damnatur, *maxima tamen vis obscœnæ libidinis, &*

diffi-

difficillima ab ea ad DEUM conversio, clarè satis indicatur. Quam proinde S. Paulus, non solùm inter miracula referre, sed & miraculis ipsis videtur anteferre : dum, *ad Hebræos* 11. *v.* 31. post recensita varia, & prorsus stupenda prodigia, mediante fide perpetrata, tandem ait : *fide Rahab meretrix non perijt cum incredulis, excipiens exploratores cum pace.* Quasi dicat : non solùm fides stupenda opera causavit in Abraham, Isaac, & Jacob ; *sed insuper* (quod magis mirandum) *etiam meretricem Rahab salvam fecit.* Statímque subjungit: *Et quid adhuc dicam? ibid. v.* 32. quasi ulteriora verba eum deficerent, nec in commendationem fidei majus miraculum adducere posset : quàm, quòd etiam meretricem, *vitio carnis assvetam*, convertere potuerit, & salvare. Ergo principijs obsta mi Christiane, & hominem æquè fragilem te esse sciens, à quo, ut ait Augustinus, *humani nihil sit alienum*, non modò *proximas*, sed & *remotas*, hujus periculosissimi vitij fuge occasiones,

fuge fornicationem 1. *ad Cor. 6. v. 18.* ne *infigaris in hoc limo profundi. Ps. 68. v. 3.* ex quo, de mille *vix emergit unus*, & de multis millibus, *vix salvatur unus.*

MEDITATIO XXX.

De vera Pœnitentia.

Pœnitentia vera:

I. Debet esse syncera: *delictum meum cognitum tibi feci: & injustitiam meam non abscondi. Ps. 31. v. 5.*

II. Sufficiens: *facite ergo fructum dignum Pœnitentiæ. Matth. 3. v. 8.*

III. Seria: quæ non modò peccata deinceps vitet, sed etiam occasiones, *seu vias ad illa*, imposterum declinet: *odivi omnem viam iniquitatis. P. 118. v. 104.*

Fructus.

Misericordias Domini in æternum cantabo. Ps. 88. v. 1.

Et gratias agam infinitæ DEI bonitati, quæ tempus pœnitentiæ mihi concessit,

cessit, quod tot alijs negavit. *Pater noster. Ave Maria.*

Lectio spiritualis.

VAlde pauci inveniuntur, qui candorem innocentiæ baptismalis, toto vitæ decursu, à fuligine præservent peccati mortalis: plurimis enim contingit, quod passim contingere solet corvis, *qui albi quidem nascuntur*, sed paulò post, *toti nigri visuntur.* Et tamen indubitanter dixit, magnus Ecclesiæ Doctor, Sanctus Ambrosius: lib. 2. de Pœnit: *faciliùs inveni, qui innocentiam servavit, quàm qui congruè pœnitentiam egerit.* Hujus autem terribilis asserti triplex potissimùm ratio reddi potest.

I. *Quia, ad veram*, seu congruam, *Pœnitentiam plura requiruntur, quorum vel uno deficiente, pœnitentia coram DEO non subsistit.* Hinc, quamvis *Saul*, posteaquam contra DEI præceptum pepercisset Agag Regi Amalec, & ob hoc peccatum à Samuele redargutus fuisset, de illo pœnituerit, *1. Reg. 15. v. 24.* tamen

tamen remissionem peccati sui non obtinuit. Quamvis *Antiochus*, de peccatis in Jerusalem perpetratis vehementer doluerit, & à DEO multis lacrymis veniam exoraverit, tamen de illo scriptum reperitur: *Orabat autem hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus.* 2. *Mach.* 9. *v.* 13. Qvamvis plerique Christianorum, priusquàm ab hac vita discedant, de peccatis suis pœnitentiã agere videantur, & raro aliquis absque prævia peccatorum suorum confessione moriatur; probabile tamen est: *etiam ex his, plures damnari, quàm salvari.*

II. *Quia, veram de peccatis pœnitentiam agere, & omnia ad eam requisita condignè præstare, non est tam facile, uti plerique sibi imaginantur;* qui, eô pœnitendi modô, sibi *ab Omnipotente DEO* veniam pollicentur, quô, nec *à vilissimo homine* eam obtinerent. Quamvis enim Publicanus ille, *Lucæ* 18. *v.* 13. pauculis hisce verbis: *DEUS propitius esto mihi peccatori;* quin imò Rex David,

unico

unico propemodum verbo; *peccavi Domino*, veniam à DEO impetraverit. 2.*Reg: 12. v.13.* quantum tamen verbum illud ponderaverit, & quantam efficaciam in se habuerit, continua totius subsequentis vitæ ejus pœnitentia, satis declaravit.

III. *Quia, vera de peccatis pœnitentia, quæ, juxta modò dicta, per se quidem difficilis, attamen, gratia DEI adjuvante, cuivis est possibilis, nonnullis, Diabolicâ delusione deceptis, prorsus videtur impracticabilis.* Unde, si eis, qui ob nimiam negligentiam pereunt *præsumendo*, adjungantur illi, qui, Diabolicô astû delusi, intereunt *desperando*: paucissimi reperiuntur, qui singula ab eis requisita toto corde præstent, *verè pœnitendo.*

MEDITATIO XXXI.

De dilatione Pænitentiæ.

Peccavi. Ergo: *aut pœnitere debeo, aut perire.* Ego autem; pro eo, ut de priori-

prioribus peccatis meis pœniteam, *ſoli ſpei futuræ pœnitentiæ nixus*, nova peccata in dies committo: & de his pœnitentiam agere, de die in diem differo.

Cùm tamen ignorem:

I. Num tempus pœnitendi deinceps habebo?

II. Num ſi tempus habuero, pœnitebo?

III. Num ſi pœnituero, in bono finaliter perſeverabo? Præſertim: cùm peccata *multiplicare*, & pœnitentiam *procraſtinare*, ſit habitus malos augere, & relapſum facilitare.

Fructus.

Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra. Pſ. 94. v. 8.

Surgam, & ibo ad Patrem meum. Lucæ 15. *v. 18.* hoc eſt: *adibo Confeſſarium meum*, & ſinè ulteriori dilatione, rationes meas cum DEO componam. *Pater noster. Ave Maria.*

Lectio Spiritualis.

PEccator: qui pœnitentiam, quam *ſtatim* agere poſſet, differt *in craſtinum*,

mum, ſimilis eſt pertinaciſſimo Pharaoni, qui interrogatus á Moyse, quando vellet liberari à ranarum plaga? *reſpondit: cras. Exodi.* 8. *v.*10. dum liberari potuiſſet *ſtatim.* Quàm ſtulta autem, & ſimul quàm periculoſa ſit ejúscemodi procraſtinatio, tres ſequentes oſtendunt rationes:

I. *Quia, tales procraſtinatores, dum pœnitentiam de die in diem differunt, gratiam pœnitendi plerumque amittunt* Neſcit enim tarda molimina, *inquit S. Ambroſius lib.* 2. *in Lucam.* Sancti Spiritûs gratia.

II. *Quia, pœnitentiam differentes, & præſentem gratiam recuſantes, utrùm alio tempore illam iterum ſint adepturi, & pœnitentiæ tempus deinceps habituri, prorſus ignorant.* Præſertim cùm ſcriptum ſit: *Spiritus*, id eſt: gratia Sancti Spiritûs, *ubi vult ſpirat: & vocem ejus audis, ſed neſcis unde veniat, aut quò vadat. Joan.* 3. *v.* 8. ſeu, quando iterum ſpirare intendat. Unde Christus Dominus, juveni illi, qui eum ſequi quidem volebat,

ſed

ſed priùs Patrem defunctum ſepelire parabat, reſpondit: *ſequere me, & dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos. Matth. 8. v. 22.* Alteri autem, priùs domeſticis valedicere volenti, expreſsè dixit: *nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retrò, aptus eſt Regno DEI. Lucæ. 9. v. 62.* certiſſimè de utroque prænoſcens: quòd, niſi *absque omni dilatione* præſenti gratiæ ſtatim *cooperarentur*, & vocantem illicò ſequerentur, *ſimilem gratiam deinceps non conſequerentur.*

III. *Quia, quo diutiùs pœnitentia differtur, eò difficilior evadit.* In cujus rei figuram Sunamitis illa, quæ defunctum filium ſuum à Propheta Eliſeo reſuſcitari cupiebat, *feſtinanter* ad Prophetam ſe conferebat, mandans ſervo ſuo ductori: *mina & propera, nè mihi moram facias in eundo. 4 Reg. 4. v. 24.* Et ipſe etiam Eliſeus, ad ſuſcitandum puerum juſſit Giezi famulum ſuum *properare*, &, nè detineretur in via, obviantes prohibuit ſalutare, *ibid. v. 29.* quin & Chriſtus ipſe, *cui quidem difficilius non*

fuit

fuit quatriduanum Lazarum ſuſcitare, quàm recens mortuum Viduæ Filium ad vitam revocare, tamen, *ut oſtenderet, peccatorem*: quem uterque mortuus figurabat: *diutiùs in peccatis hærentem, ab hac morte ſpirituali, ad vitam gratiæ difficiliùs revocari*; filium Viduæ faciliùs, *Lucæ 7. v. 14.* Lazarum, *ſpectatis circumſtantijs, & ad apparentiam*, reſuſcitavit difficiliùs. *Ioan.* 11. *v.* 43. Ergo *non tardes, converti ad Dominum, nec differas de die in diem. Eccleſ.* 5. *v.* 8. ſed *appropinqua celeriter throno gratiæ ejus*, qui *appropinquantes ad ſe peccatores recipit. Lucæ* 15. *v.* 1. & 2. appropinquare autem nolentes, *in tempore vindictæ diſperdit. Eccleſ.* 5. *v.* 9.

MEDITATIO XXXII.

De morte, & incertitudine illius.

Lata eſt ſententia: certò moriar. *Statutum eſt Hominibus ſemel mori. ad Hebræ.* 9. *v.* 27.

I. Sed neſcio *quando* : poſſum mori *hac hora*.

II. Neſcio *ubi*: poſſum mori *in hoc loco*.

III. Neſcio *quomodo* : poſſum mori *in hoc peccato*. Et tamen pecco *tam audacter*, reincido in priora peccata *tam faciliter*, nec vito *occaſiones* peccandi. Quæ ergo eſt Fides mea ?

Fructus.

Vigilate itaque, quia neſcitis diem, neque horam. Matth. 25. v. 3.

Quoties peccandi occaſio ſe mihi obtulerit, ità me ipſum alloquar : *quid fieret de me, ſi factô hôc peccatô vitam finirem ? Pater noſter. Ave Maria.*

Lectio ſpiritualis.

Cùm die quodam, S. Propheta Amos, per viſum conſpexiſſet uncinum pomorum, nec ſciret, quid uncinus ille denotare deberet, Divino inſtructus oraculo intellexit : uncinum illum ſignificare mortem : *Venit finis ſuper populum meum. Amos 8. v. 2.* Hæc tamen viſio,

ſio, non erat adæquata mortis repræſentatio, ſed ſolummodo quoad eam partem ejus repræſentatio fuit, quâ parte, mors omnibus eſt *æqualis*, & ſupremos æquè ac infimos, arboris vitæ colligit fructus, *æquo*, ut ait Horatius, *pulſans pede pauperum tabernas, Regúmque turres.* Quoad alteram autem partem, quâ maximè eſt *inæqualis*, hoc ſymbolo adumbrata non fuit. Qui enim, ope uncini poma collecturus, intrat pomarium: immaturos fructus non decerpit, ſed ſinit eos matureſcere: ſolos interim maturos colligens; aut, ſi quô caſu, etiam immaturos colligat, floribus ſaltem parcit. Mors verò, non tantum fructus immaturos præ maturis, ſed & juventutis flores, præ fructibus maturæ ſenectutis, colligere ſolet. Juxta illud *Cant: 2. v. 12. flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis advenit.* Hæc enim:

I. Crudelis illa bellua eſt: quam Habacuc Propheta *ambulantem*, Chriſtiq; reſurgentis triumphum, *quaſi fractis*

cruribus, lentô paſſu præcedentem, mirabatur. *Ante faciem ejus ibit mors. Habacuc 3. v. 5.*

II. Hæc ipſa eſt: quam S. Joannes Evangeliſta in Apocalypſi ſua *equitantem* ſe vidiſſe teſtatur: *& ecce! eqvus pallidus: & qui ſedebat ſuper eum, nomen illi mors. Apoc. 6. v. 8.*

III. Hæc denique ipſiſſima eſt: quam, *gladium volantem*, appellat ipſe DEUS *Ezech-32. v. 10.* Nullam greſsûs æqualitatem ſervat; ſed his *ambulat*, alijs *equitat*, alijs *volat*. Hos *celerrimè* ipſo vitæ exordio, & propè eadem qua naſcuntur hora; alios *tardiùs*, medio quaſi in curſu; aliquos autem *tardiſſimè*, ac non niſi in ultima ſenecta, aſſequitur. In hoc uno ſemper *æqualis*, quòd omnibus ſit *inæqualis*, & prorſus incerta.

MEDITATIO XXXIII.

De nuncio Mortis.

Si non fuero mortuus morte repentina: nunciabitur mihi, *aliquando graviter*

viter ægrotanti, inſtantis mortis periculum; &, ut me ad bene moriendum diſponam, admonebor.

I. Sed, *habebóne tunc tempus confitendi?* dum vix loqui licebit, præ doloris magnitudine?

II. *Poteróne tunc ante actam vitam meam examinare?* dum vix me ipſum capiam, præ timoris multitudine?

III. *Habebóne animum verè pœnitendi?* multiplici afflictus intricatæ conſcientiæ amaritudine? O mi DEUS! quid ergo faciam?

Fructus.

Dum tempus habemus, operemur bonum. ad Galat: 6. v. 10.

Id, ô anima mea, nunc faciam, quod *tunc*, me *nunc* feciſſe vellem. Id eſt: hodie adhuc faciam confeſſionem generalem vitæ meæ, & impoſterum Chriſtianè magis vivam, in his N. N. me ſpecialiter emendando. *Pater noſter. Ave Maria.*

Lectio Spiritualis.

QUàm difficile ſit peccatorem moribundum converti ad DEUM, declarat latronis ad latus Chriſti (*pro ipſo ſanguinem actu fundentis*, & inter tanta prodigia in cruce *actu morientis*) obſtinatio, & damnatio. Quàm pauci autem eam difficultatem, *in mortis articulo conſtituti*, ſuperent: & *veram ac ſynceram* de peccatis pœnitentiam agant: indicat alterius latronis *inſolita abſolutio*; quam ei, *non in forma ordinaria*, utì alijs paſſim peccatoribus. *Matth.* 9. *v.* 2. *Lucæ* 7. *v.* 48. *Joan.* 8. *v.* 11 *&c.* ſed *ſpeciali cum energia*, elargitus eſt Chriſtus, dicens: *Amen dico tibi: hodie mecum eris in Paradiſo. Lucæ* 23. *v.* 43. Quaſi innuere voluerit: quamvis *non impoſſibile*, adeò tamen *rarum, & penè incredibile eſſe*, peccatorem: *qui ſanus pœnitere noluit*, in mortis articulo jam conſtitutum, *tunc primò, verè de peccatis pœnitere*, ut ad faciendam hujus rei fidem: *ſingulari planè aſſecuratione opus fuerit*. Idque tripliciter potiſſimùm de cauſa.

I. Quia

I. *Quia, rarissimè fallit regula*, quotidianâ experientiâ comprobata, & *à S. Bernardo, ser: 28. in parvis*, universaliter stabilita: *Qualis vita, finis ità.*

II. *Quia, ordinariè*, ùt ait S. Augustinus, serm: 3. de innoc: *Percutitur hac animadversione peccator, ut moriens obliviscatur sui, qui dum viveret, oblitus est DEI.* Contingítque illi, quod infelicissimo contigit Absoloni, qui tametsi *ad latus suum gladium haberet*, quo capillos re secare, & se ipsum de Quercu poterat liberare, in illis tamen angustijs, gladio suo debitè uti *oblitus fuit*, & ità, pendulus remanens, occubuit deprehensus à Joab, *2. Reg.* 18. *v.* 14. Simili enim modo peccator, in articulo mortis constitutus, tametsi *gladium pœnitentiæ arripere*, & illo bene utendo, contra Diabolum victoriam adhuc reportare posset: plerumque tamen, *terrore imminentis mortis stupefactus, gladio hoc uti obliviscetur*, aut certè, tam perfunctoriè utetur, ut in ea ultima pugna, semel pro semper, à Diabolo superetur. Quod confirmans

S. Pſalmiſta David *Pſ.* 6. *v.* 6. ait: *Quoniam non eſt in morte qui memor ſit tui*, quaſi dicat: *in mortis articulo*, nec tui Domine, nec ſui ipſius: ſed aliarum prorſus rerum ordinariè recordatur homo; videlicet: *deſolatæ Uxoris*, quam viduã relinquit; *filiorum*, quos Orphanos deſerit; *divitiarum*, quas ei mors eripit; *commoditatum vitæ*, quibus valedicere debet, &c. Aut cum illo Juvene 4. *Reg.* 4. *v.* 19. identidem exclamat: *caput meum doleo, caput meum doleo.* Aliud nec dicere, nec cogitare valens.

III. *Quia, tantum abeſt: ut qui malus erat vivendo, bonus fiat moriendo*; ut potiùs præſumi debeat: eum qui *malus* fuit vivendo, *pejorem* evaſurum moriendo. Exemplum habemus in ſuprà memorato ſiniſtro latrone, qui: pro eo, quòd moriturus converti debebat ad Chriſtum, ipſe obſtinatior factus, blaſphemabat Chriſtum. *Lucæ* 23. *v.* 39. Et in parabola de villico, qui diſſipaverat bona Domini ſui, &, quaſi in articulo mortis conſtitutus, rationem villicationis

nis suæ reddere jussus : *redde rationem villicationis tuæ : jam enim non poteris villicare. Lucæ 16. v. 2:* pro eo, quòd iniquitatem suam debebat deplorare, multiplicata fraude, eandem præsumpsit cumulare. *ibid. v. 6. & 7.* Ut proinde non immeritò dixerit, magnus Ecclesiæ Doctor S. Hieronymus: *vix ex centum millibus hominum, quorum mala fuit vita, in Morte Divinam indulgentiam, obtinebit unus.*

MEDITATIO XXXIV.

De statu Moribundi.

I. *Præterita* eum affligunt. Tanta peccata, de quibus, num sufficientem pœnitentiam egerit, *ipse nescit.*

II. *Præsentia* eum contristant. Tanta pericula, quæ quomodo evadat, *non videt.*

III. *Futura* eum terroribus replent. In limine æternitatis se constitutum cernit, quæ, num felix, num infelix sibi futura sit, *prorsus ignorat.*

Fructus.

O mors! bonum est judicium tuum. Eccles. 41. v. 3.

Nunc ego doce me, Mundum, & vanitates ejus, non curare; solíque DEO, qui decipere nescit, fideliter servire.

Pater noster. Ave Maria.

Lectio Spiritualis.

AD eludendam Cauponum calliditatem, communis per Italiam consuetudo obtinuit: viatores Italos, de ferculorum sibi in diversorijs apponendorum pretio, ante eorum degustationem pacisci; & siquidem justô offerantur, ea acceptare: sin minus, alia levioris pretij postulare; atque ità, absque nimiæ exactionis periculo, hilares manducare, & è caupona securos migrare. Quem morem, si omnes viatores Christiani in diversorio hujus Mundi observarent, profectò, vanitatibus ejus non adeò inhiarent, nec oblatas voluptates facilè acceptarent; quin potiùs, cum Demosthene, à meretrice solicitato, exclamantes:

clamantes: *non emo tanti pœnitere!* illas omnimodè repudiarent; & ità, in mortis articulo, ſine timore è caupona hujus Mundi ſecuri migrarent. Adverterent enim:

I. *Omnia hæc inſtabilia eſſe*, & nullius prorſus momenti; quorum vanitatem, & momentaneitatem, nec ipſe Diabolus celare valens, ea, *Lucæ* 4. *v.* 5. *oſtendit --- in momento*, & nè diutiùs, ſeu diligentiùs, conſiderata ſpernerentur: *unico videri voluit momento.* Ipſa enim, falſo ſplendore, oculos hoc momento decipiunt, & ſimul, quaſi ipſo momento, jam non eſſe incipiunt. Aman lætus cum Rege epulatur, & è loco convivij repentè ejectus, poſt paucula momenta, jubente Rege, ſuffocatur. *Ether.* 7. *v.* 10. hodie, *Hoſanna filio David*, *benedictus qui venit in nomine Domini. Matth.* 21. *v.* 9. tota gratulabunda reſonat Jeroſolyma, poſt pauculas autem dies: *crucifige crucifige eum. Joann.* 19. *v.* 6. tota perſtrepit Synagoga, &c.

II. *Eſſe felicitates tantùm ſomniatas*, & nec

nec ad momentum revera tales. In cujus rei figuram: Nabuchodonosor per somnium vidit statuam, cujus caput aureum, gloriam Regni ejus designabat, *Daniel.2.v.37.& 38. Sed hoc somnium erat*, inquit S. Ambrosius, libro de Joseph, *& omnis potentia sæculi somnium, non veritas est.* Cui etiam subscribens S. Augustinus, ait: *Omnes felicitates, quæ videntur, sæculi, somnia sunt dormientium, & quemadmodum qui videt thesauros in somnijs, dormiens dives est, sed evigilabit, & pauper erit; sic omnia ista vana hujus sæculi, de quibus homines gaudent, in somno gaudent, evigilabunt autem quando nolent, si non modo evigilant quando utile est, & invenient somnia illa fuisse, & transiisse.* Juxta illud *Ps. 75. v. 6. Dormierunt somnum suum: & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.*

III. *Omnia hæc valde carò constitura*, utpote, quæ, in mortis articulo, ingentes angustias sunt causatura, & nihilominus æternã pœnam allatura: quam Divina Justitia, certò certiùs, peccatori est

est inflictura, quæ nullum peccatum impunitum est relictura.

MEDITATIO XXXV.

De ultimo momento vitæ.

I. *In illo momento*, separabitur anima á corpore, & corpus á delicijs hujus Mundi.

II. *In illo momento*, cessabunt honores, divitiæ, amici.

III. *In illo momento*, possum æternùm damnari. Si hoc ipsum, in quo hæc recogito, ultimum esset vitæ meæ momentum, quid fieret de me?

Fructus.

Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Apoc. 14. *v.* 13. Illi nempe sunt beati: qui *mortui moriuntur.* Illi, *qui priusquàm moriantur*, moriuntur; qui, priusquàm *corpore* moriantur, jam *corde mortui sunt Mundo*, & vanitatibus ejus. Qui *S. Pauli* 1. *ad Corint.* 7. *v.* 31. monitũ sequen-

ſequentes : ità *utuntur hoc Mundo, tanquam non utantur*. Tu autem, ô anima mea, quomodo hoc Mundo huc uſque uſa es? quæ, tam inordinato affectu, his N. N. Mundi deliramentis adhæſiſti. *Pater noſter. Ave Maria.*

Lectio ſpiritualis.

MOrtem, ſeu ultimum momentũ vitæ humanæ, *omnium terribilium terribiliſſimum eſſe*, Ariſtoteles univerſaliter pronuntiavit: qui inter bonam mortem bonorum, & malam mortem malorum, diſtinguere neſcivit. Nos autem: *Fide Divina illuminati*, inter agonem Juſtorum, & exitum peccatorum diſcernentes, *mortem quidem malorum*, omni ex parte horribilem non negamus, *finem autem Juſtorum*, haud terribilem autumamus: quin vitam potiùs, quàm mortem nominari, & votis omnibus exoptari debere, putamus. Unde non immeritò S. Mater Eccleſia, diem mortis Sanctorum, paſſim vocat *natalem eorum*, & Pſalmiſta David, *ſolos*

impios

impios morituros innuit: dum *obtenta peccati ſui venia à DEO juſtificatus*, atq; hoc ipſo è numero moriturorum ſe exemptum ratus *Pſ.* 117. *v.* 17. ait: *Non moriar, ſed vivam: & narrabo opera Domini.* Quin imò S. Paulus Apoſtolus, *beatam mortem Juſtorum*, non modò horrore & amaritudine carere, aut vitam potiùs, quàm mortem appellari oportere: ſed & *vitæ ipſi præferri debere* putabat, dum hanc præ illa exoptando, ſuo, & omnium Juſtorum nomine, identidem repetebat: *mihi enim vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum. ad Philip.* 1. *v.* 21. Hæc ergo Juſtorum ut & nobis obtingat beata ſors, & nè tunc, cùm de hoc Mundo diſceſſuri: *modicum, & jam non videbitis me. Joan.* 16. amicis noſtris ſumus dicturi, mala malorum nos perterreat mors; tres induſtrias in tempore adhibeamus.

I. *Sobriè, & juſtè, & piè, vivamus in hoc ſæculo. ad Tit.* 2. *v.* 12. Fruſtra enim mortem expectat piorum, inquiens: *moriatur anima mea morte juſtorum. Num.* 23. *v.* 10.

23. *v.* 10. qui, cum perverſo Balaam, vitam vivit peccatorum.

II. *Vanitatibus Mundi cor non apponamus*: juxta illud *Pſ. 61. v.* 11. *Divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.* Nè alioquin nobis contingat in Morte, quod Propheta Baruch, in perſona Mundi, de ejusdem amatoribus *cap.* 4. *v. 11.* ait: *nutrivi enim illos cum jucunditate : dimiſi autem illos cum fletu & luctu*: exclamantes, & ſuſpirantes: *ſiccine ſeparat amara mors.* 1 *Reg. 15. v.* 32. Non enim deſeri poteſt absque dolore, quod poſſidetur cum amore.

III. *Mortis nunquam obliviſcamur*: ſed præ oculis eam habentes, & quaſi continuò morientes: morte mortem impugnemus, & *uſu perpetuô* aculeum ejus hebetemus, donec eam perfectè vincamus, &, ad nocendum nobis, impotem reddamus.

MEDITATIO XXXVI.

De

De ſtatu corporis poſt mortem.

I. Imaginabor mihi, me, poſt mortem meam, contemplari corpus meum.

II. Et ecce! Pallidum, ſqualidum, & deforme jacet cadaver. Nec videt, nec audit, nec loquitur: ſinè comite ſolum, & ab omnibus derelictum.

III. Nè fœtore ſuo inficiat domum, ad locum defertur ſepulturæ, ubi, terrâ obrutum, vermibus traditur conſumendum. *Et hoc ipſum vile corpus, ego tam delicatè tractabo, & ob ejus commoda, DEI legem violabo?*

Fructus.

Concidit cadaver tuum: ſubter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes. Iſaiæ 14. v. 11.

Hodie me ad aliquam, ſepulturæ fidelium deſtinatam Eccleſiam, data opera conferam: ibíq; ſalutato priùs SS. Euchariſtiæ Sacramento, obvium conſiderans ſepulchrum, corpus meum in

hæc verba attentè alloquar: *Simile, ô corpus meum, te expectat domicilium, ut in eo putrescas, vermium esca. Pat.nost.Ave M.*

Lectio spiritualis.

SApientissimus Magister noster Christus, cæcum illuminare volens, *linivit lutum super oculos ejus, Joan. 9. v. 6.* ut nos doceret: nihil æquè cæcitati humanæ mederi, ac *sordidissimum lutum, in quod moriendo resolvemur.* Hoc enim quàm primùm, per modum spiritualis emplastri, oculis suis admovet, & attentâ consideratione perpendit homo, protinus videre incipit, quæ nec vidit de facto, nec vidisset deinceps. Intuetur enim:

I. *Omnia, quæ Mundus habet*, & quæ in eo pretiosa putantur, *lutea esse*, ac in morte evanescere omnia; nec magìs æstimari debere, quàm ea æstimaverit S. Paulus, qui *ad Philip. 3. v. 8.* ajebat: *Omnia --- arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.*

II. Cum ipsa vita finiri honores, & inge-

ingenitæ nobilitatis præstantiam, juxta illud *Ps.* 29. *v.* 10. *Quæ utilitas in sanguine meo*, nobili, *dum descendero in corruptionem?*

III. *Omnem*, quantumvis maximam, *amicitiã Mundanam, non durare nisi usq; ad mortem:* & ex tunc, nullius effectam momenti, ad ostium terminari monumenti. Id enim, claré satis innuit, ipse Christus, qui, dum de morte Lazari *obscurioribus verbis loqueretur*, eumq, *non mortuum esse*, sed *tantùm dormire* diceret: *amicũ* appellabat: *Lazarus amicus noster dormit. Joan.* 11. *v.* 11. Ast ubi non jam *obscuris*, sed *claris*, & *à Mundo intelligibilibus verbis*, revera *mortuum* ajebat: non ampliùs *amicum*, sed *tantùm Lazarum* simpliciter nominabat: *Lazarus mortuus est. ibid. v.* 14. Talis enim est amicitia Mundana: *quamdiù aliquis vivus putatur*, & nondum *mortuus*, sed tantùm *dormiens* existimatur: *tam diù solitis obseqvijs honoratur, & inter amicos numeratur.* Quàm primùm autem *revera mortuus intelligitur*, omnis amicitia finitur.

Ut proinde non immeritò, in persona cujuslibet defuncti, lamentetur S. David *Ps. 30. v. 13. & 14.* inquiens: *Oblivioni datus sum, tanquam mortuus à corde. Factus sum tanquam vas perditum.* Quasi dicat: Quemadmodum si vas aliquod, valde elegans, in convivio frangatur, ab omnibus quidem recumbentibus super eo conclamatur, & quilibet de eo fracto lamentatur: postquam autem in cloacam ejectum fuerit, nemo ampliùs illius recordatur; ità: *dum quispiam à morte exanimatur*, communi ejulatu fractũ vas, *seu perditus amicus*, deploratur; quàm primùm autem *sepulchro* injectus fuerit, *à nemine ampliùs curatur*, &, quasi non modò non amicus, verùm etiam nec notus fuisset, oblivioni ab omnibus datur.

MEDITATIO XXXVII.

De universali resurrectione corporum.

Ad

Ad clangorem tubæ Angelicæ:

I. Reſurget hoc corpus meum.
II. Cui reunietur, aut beata, aut damnata, anima mea.
III. Ut cum ea, immortale ſit & corpus.

Fructus.

Oportuit pati Chriſtum, & ità intrare in gloriam ſuam. Lucæ 24. v. 26. Regnum cœlorum vim patitur. Matth. 11. v. 12.

Si ergo, ô corpus meum, cum anima tua, beatam tibi exoptas im̃ortalitatem, & infelicem declinare cupis æternitatẽ: nunc ab illicitis abſtine voluptatibus, & hæc N. N. omni conatu evita. Suſtine quæſo ſuave jugum Chriſti, ut impaſſibile ſis in æternum. *Pat. noſt. Ave Mar.*

Lectio Spiritualis.

ARcanô Divinæ Sapientiæ conſiliô, nec omnes divites, nec omnes nobiles, nec omnes naſcimur Domini. Sed *ipſe*, id eſt: DEUS, *dedit quosdam quidem Apoſtolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores. ad Ephes. 4. v. 11*, eâ dexteritate

ritate dona ſua *dividens ſingulis prout vult. 1. ad Cor. 12. v. 11.* ut nec accipiens, de *gratis* acceptis, vallat gloriari, nec nõ accipiens, de *non acceptis*, poſſit querulari. Idq; triplici potiſſimùm de cauſa.

I. Quia ille, qui, DEO ſic diſponente, alijs major factus eſt, *naturaliter talis naſcendo*, minor fieri poteſt, culpâ ſuâ, *ſupernaturaliter alius reſurgendo.* Et qui *minor fuit in prima generatione, major*, virtute ſuâ, *evadere poteſt in futura regeneratione:* ubi non ampliùs filij caſuum fortuitorum, ſed *filij erimus operum noſtrorum*, tales tunc compari turi, quales nunc ſumus victuri.

II. Quia humilitas fortuitæ nativitatis, augmentum potiùs, quàm decrementum habet, ſinceræ felicitatis; dum quilibet, obſcuris licèt ortus natalibus, virtute propriâ altiùs valet eluctari, quàm à fortuna, in hoc Mundo, potuiſſet exaltari; atque hoc ipſo, per totam æternitatem, *tantò ſolatioſius* gradum ſuum poſſidebit, quantò evidentiùs, non à cæca fortuna ſibi donatum, ſed

me-

merito virtutis suæ comparatum, eum videbit.

III. Quia obscuritas temporalis nativitatis, non obscurat opera meritoria æternæ claritatis; quin potiùs, tantò magis reddere videtur stupenda, quantò minus à subjecto obscuro erant speranda. Si enim *nobiliter natus*, in futura regeneratione, *nobilis fuerit resuscitatus*: censebitur quidem nobilitate sua dignus, generosum, ac verè nobilem animum in nobili corpore gessisse, & ob idipsum plurimum laudis promeritus fuisse: si autem *filius hominis Plebei*, in corpore non nobili, nobilem servans animum, meritô suô, *resurrexerit filius DEI*, id fortè magis stupebit omnis creatura, eáque sic resurgentis major gloria est futura.

MEDITATIO XXXVIII.

De separatione reproborum ab Electis.

In præſenti vita, mali convivunt bonis, & poſt mortem invicem permixti tumulantur. Aſt, extrema rebus omnibus illuceſcente die, tota repentè mutabitur ſcena : *Exibunt* enim *Angeli, & ſeparabunt malos de medio Juſtorum. Matth.* 13. *v.* 49.

I. *A dextris ſtabunt Electi*, & forſitan hi ipſi : quos ùt ſtultos contempſi.

II. *A ſiniſtris ſtabunt reprobi*, & forſitan hi ipſi : cum quibus ſæpiùs peccavi.

III. *Ego autem ubi ?*

Fructus.

Ecce! ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & cuſtodiat in via; --- obſerva eum, & audi vocem ejus. Exodi 23. *v.* 20. *&* 21.

Ut igitur, in die illa tremenda, non à ſiniſtris, ſed à dextris colloceris ab Angelis, Angelos cole, ô anima mea, & præſertim Angelum tuum cuſtodem; quem cùm magis colere non poſſis, quàm ejus inſpirationibus obediendo : ea propter, bene tibi ſuadenti obediens eſto, & *audi vocem ejus. Pat. noſt. Ave M.*

Lectio

Lectio spiritualis.

Cùm die quodam S. Patriarcha Abraham, hostiam solemnem offerre volens DEO, victimam sacrificij divideret, & *partem unam à dextris, alteram à sinistris collocaret* : insolitus eum pavor repentè invasit, & assurgentibus præ horrore capillis, totus quasi ex animis factus, incidit in agoniam : *Horror magnus & tenebrosus invasit eum Gen.* 15. *v.*12. Hujus autem tam excessivi horroris, *si S. Augustino credimus*, alia causa non fuit, quàm : *quòd per eam carnalis victimæ divisionem*, significaretur horribilis illa separatio in valle Josaphat aliquando facienda, dum scilicet : *exibunt Angeli & separabunt malos de medio Justorũ. Matth.* 13. *v.* 49. & eos etiam, qui in hoc Mundo *cor unum, & caro una videbantur*, ab invicem segregantes, atque pro cujuslibet merito, à dextris vel sinistris locantes : separabunt Patrem à Filio, Fratrem à Fratre, Maritum ab Uxore; seu : Abrahamum ab Ismaël, Cainum

ab Abel, Aſſverum ab Eſther. Cur autem, ſola hujus futuræ ſeparationis adumbratio, tantũ horrorem Abrahamo incuſſerit, triplex potiſſimùm ratio reddi poteſt.

I. Quia, videbat illam eſſe incertam. *Quis enim cognovit ſenſum Domini? aut qvis conſiliarius ejus fuit? ad Rom.* 11. *v.* 34. *Ipſe ſcit, quos elegerit Joan.* 13. *v.* 18. nos autem neſcimus *utrũ amore, an odio digni ſimus. Eccleſ.* 9. *v.* 1. & ideo *cum metu & tremore noſtram ſalutem operari debemus. ad Philip.* 2. *v.* 12. *per bona opera*, quantum humanitus fieri poteſt, *certam noſtram vocationem & electionem facientes.* 2. *Petri* 1. *v.* 10.

II. Quia, ſciebat illam eſſe æternam.

III. Quia, credebat, ſe, utpote *Patremfamilias, alijs à DEO præpoſitum*, majori ſalutis periculo eſſe expoſitum. Quod etiam S. Paulus innuere volebat, qui, tametſi de ſua prædeſtinatione certus eſſet, & ad Timotheum ſcribens indubitanter dixerit: *repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa*

die

dic justus Judex. 2. *Timoth*. 4. *v*. 8. dum tamen, se *alijs prælatum*, & authoritate prædicationis à DEO meminit decoratum: multùm sibi visus est timere, & omnem præcautionem diligentissimè voluit adhibere, dicens: *castigo corpus meum*, *& in servitutem redigo: nè fortè*, *cum alijs prædicaverim*, *ipse reprobus efficiar*. 1. *Corinth*. 9. *v*. 27.

MEDITATIO XXXIX.

De signis Judicii Extremi.

Signa Universale Judicium præcessura, fide indubia credimus: quia ea prædixit Christus.

I. *Erunt plurima:* Sol obscurabitur, Luna non dabit lumen suum, stellæ cadent de cœlo, & omnis simul alterabitur creatura: *arescentibus hominibus præ timore & expectatione, quæ supervenient universo Orbi*. *Lucæ* 21. *v*. 26. & *Matth*. 24. *v*. 29.

II. E-

II. *Erunt inexpectata* : Dum Mundus de eis minimè cogitando, impudentiùs peccabit. *Quia dies Domini, sicut fur in nocte, ità veniet.* 1. *Tessal.* 5. *v.* 2.

III. *Erunt terribilia.* Quandoquidem & homines, & animalia, & Urbes, & totum, quà latè patet, terrarũ Orbem, voracibus consumet flammis deciduus è cœlo ignis. 2. *Petri* 3. *v.* 10. O! horrendũ spectaculum; quod creaturas omnes summô replebit terrore, sed nullum æquè, ac miserum peccatorem.

Fructus.

Peccata tua Eleemosynis redime. Dan. 4. *v.* 24. Jacob præmisit munera, ut placaret Esau. Gen. 32. *v.* 18. & ego Christum Judicem mihi placare conabor: munera per manus pauperum, eidem præmittens. *Pater noster. Ave Maria.*

Lectio Spiritualis.

QUamvis dies extremi Judicij, ad terrorem peccatorum, *dies Domini. Soph.* 1. *v.* 14. per antonomasiam appelletur.

letur. Eò, quòd in illa die : *ſpeciali modo, revelaturus ſit DEUS gloriam ſuam.* In qua tandem *videbunt* peccatores, *in quem transfixerunt. Joan. 19. v. 37.* & in quantum Dominum tela peccatorum ſuorum vibraverunt. *Maximam etiam oſtenſurus ſit potentiam ſuam : tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna. Lucæ 21. v. 27.* Et denique *ipſe facturus ſit voluntatem ſuam.* Qui *nunc* pœnitentiâ noſtrâ ſubinde diſarmatus, aut Sanctorum interceſſionibus ligatus, vi promiſſionis ſuæ, *noſtram facere debet voluntatem*; juxta illud : *dimitte me, ut iraſcatur furor meus. Exodi 32. v. 10. Non dimittam te. Gen. 32. v. 26.* Hæc tamen, tremenda dies, pauciſſimos nunc terret peccatores : & quæ, non modò de ſomno vitiorum, innumeros olim excitavit dormientes, ſed & plurimos in ſpeluncis & antris, absq; ſomno vivos, quodammodo ſepelivit pœnitentes; nunc : quamvìs eâdem, quâ olim, fide credatur; nihil tamen miri in nobis operatur. Idque triplici potiſſimùm de cauſa. I. Quia

I. Quia, de hac tremenda die, nunquã *seriò* cogitamus. Sed, quasi per somnium, eam, *perfunctoriè* tantùm, nobis repræsentamus; quam tamen, cœlestis Magister noster Christus, non sinè causa *Matth.* 24. & *Lucæ* 21. ità patheticè descripsit, ut ferè oculis videatur, & quasi præsens conspiciatur.

II. Quia, *longissimè* eam adhuc distare putamus, & jam de ea seriò cogitare, superfluum autumamus; cùm tamen Christus, non longè eam dixerit abesse, quin imò, jam quodammodo inchoatã declaraverit esse, inquiens: *nunc judicium est Mundi. Joan.* 12. *v.* 31, Eò, quòd peccata nostra, *præsens sint condemnatio nostra*, quæ, hoc ipso, quòd à nobis malè vivatur, *nunc* pro *tunc*, contra nos à Christo fulminatur.

III. Quia, si quando de ea seriò cogitamus, horrorem ejus quasi *inevitabilem*, & necessariò subeundum, nobis repræsentamus; cùm tamen horror illius possit vitari, & piè vivendo, *nunc* pro *tunc*, à nobis declinari.

ME-

MEDITATIO XL.

Processus Judicij Extremi.

Sacro-Sancta præcedente cruce, innumerâ cœlestium Spirituum sociatus catervâ, Apostolorum circumdatus coronâ, comitante se Beatissima Matre sua, vultu iratô, & ad ultionem injuriarum, sibi à peccatoribus factarum, severè compositô: comparebit in nubibus cœli, Christus Judex. Eíque:

I. *Ut creatori*, rationem reddere debebo, de tantis medijs salutis, quibus, aut non usus, aut abusus fui.

II. *Ut Patri*, de tanto amore, cui non correspondi.

III. *Ut Redemptori*, de tanto sanguine pro me effuso, quem peccando conculcavi.

Fructus.

Si nósmet ipsos dijudicaremus, non utiq; judicaremur. 1. *Cor.* 11. *v.* 31. Ho-

Hodie, & deinceps die quolibet, eâ, quâ par eſt, diligentiâ, examen conſcientiæ veſperi ante ſomnum inſtituam. In quo: poſteaquam pro univerſis beneficijs totius vitæ, & præſertim illius diei, humiles DEO gratias egero: conſcientiam meam diligentiſſimè excutiam; & de bene actis DEO gratias agam, de univerſis autem illius diei peccatis, offenſionibus, & negligentijs meis, corde contritô, emendationem proponens, veniam petam. *Pater noſter. Ave Maria.*

Lectio ſpiritualis.

INter omnia Attributa Divina, nullū minus in præſenti ſæculo cognoſcit Mundus: quàm *Juſtitiam*; juxta illud. *Joan.* 17. *v.* 25. *Pater Juſte, Mundus te non cognovit.* In futuro autem ſæculo, *cum Dominus ad judicandum venerit*, rigorem Juſtitiæ ejus luculentiſſimè experiemur omnes. Dum:

I. Exactiſſimam rationem à nobis petet, *de omni cogitatione*, quia: *Spirituū*

(hoc

(hoc eſt, cogitationum) *ponderator eſt Dominus. Prov.* 16. *v.* 2. *De omni verbo*, quia: *omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die Judicij. Matth.* 12. *v.* 36. *De omni opere*, quia: *tunc reddet unicuique ſecundùm opera ejus. Matth.* 16. *v.* 27. Et, aſſumpta bilance Ezechielis, omnem capillum dividet, ac ponderabit, ipsásque etiam *juſtitias noſtras*, diſtrictè *judicabit. Pſ.* 74. *v.* 3. &, *nisì abundaverint plùs quàm Scribarum & Phariſæorum*, inſufficientes declarabit. *Matth.* 5. *v.* 20.

II. *De theſauro ſuo* (ſapientiæ, & ſcientiæ DEI. *ad Rom.* 11. *v.* 33.) proferet, nobísque ob oculos ponet, *nova & vetera. Matth.* 13. 52. hoc eſt: non modò *recenter à nobis acta*, quorum, utpote *novorum*, ſpeciem retinemus factorum; ſed & *juventutis noſtræ delicta*, quorum, utpote *antiquorum*, jam non recordamur geſtorum.

III. *Scrutabitur Jeruſalem in lucernis. Soph.* 1. *v.* 12. omnésque circumſtantias, ſequelas, & caudas peccatorum diligentiſſi-

gentissimè perquiret, & pro modo culpæ, justissimam cuilibet pœnam infliget. Erítque tunc diluvium illud grande, de quo vaticinabatur David *Ps.* 31. *v.* 6. inquiens : *in diluvio aquarum multarum, ad eum non approximabunt.* Ubi *diem extremi Judicij*, non sinè mysterio, diluvium vocat *aquarum multarum*, ad distinctionem prioris diluvij, quod respectivè erat *aquarum paucarum.* In illo enim priore diluvio, aquæ iræ DEI non erant tantæ, ut omnis peccatoribus negaretur spes veniæ, quia: ut pulchrè observat Origenes *in Gen:* adhuc columba invenit, pacis symbolum, virentem olivam *Gen.* 8. *v.* 11. In hoc autem secundo diluvio : *mentietur opus olivæ. Habac.* 3. *v* 17. & nulla peccatoribus restabit spes veniæ, nec ullus accessus erit ampliùs ad thronum misericordiæ.

ME-

MEDITATIO XLI.

De Inferno.

Quid eſt Infernus?

I. Eſt ſqvalidiſſimus carcer, æternis ligans catenis: ſinè ſpe acquirendæ libertatis.

II. Eſt ſuccenſa fornax, æternis urens flam̄is: ſinè ſpe futuræ remiſſionis.

III. Eſt omnium tormentorum aggregatione horribilis carnificina, ubi omnis pœnarum varietas invenitur: & nunquam de aliquo refrigerio auditur.

Fructus.

Cruciabitur igne & Sulphure in conſpectu Angelorum Sanctorum, & ante conſpectum Agni: & fumus tormentorum eorum aſcendet in ſæcula ſæculorum. Ap. 14. v. 10. & 11.

Tres ſequentes actus eliciam. 1. *Timoris:* ex conſideratione Divinæ Juſtitiæ. 2. *Contritionis:* ex conſideratione

peccatorum meorum. 3. *Humilis petitionis:* ex consideratione, æqualis cum Justitia, infinitæ DEI Misericordiæ. *Pater noster. Ave Maria.*

Lectio Spiritualis.

QVanta, & quàm horrenda sint inferorum supplicia, nulla lingva edicere, nec ullus potest intellectus percipere. De his enim loquens S. David *Ps.* 10. *v.* 7. ait: *Ignis & Sulphur, & Spiritus procellarum, pars calicis eorum.* Sed si hæc *pars tantùm sunt calicis damnatorum*, quanta igitur erit *tota pœna eorum*, qui, *non partem tantùm*, sed *integrum* iræ DEI calicem, bibent *in sæcula sæculorũ*? Præsertim cùm ignis ille, qui non tota pœna, sed *aliqua tantùm pars dicitur pœnæ eorum*, per se præcisè, acerbitatem excedat omnium Mundi tormentorũ, & ignem nostrum in tantum videatur superare, ut hunc, respectu illius, *frigidum* possimus appellare. Idqve triplici potissimùm de causa.

I. Quia, ut passim ex sacris litteris colligitur:

ligitur: ignis infernalis, non, quemadmodum ordinarius ignis noſter, ſucceſſivè & gradatim operatur, ſed *ſimultaneè* omnes internas & externas partes damnatorum inflammat; ità, ut *una eadémque activitate*, pellem, carnem, oſſa, medullam, & ipſam denique damnatorum penetret animam. Cùm, è contrà, ordinarius ignis noſter, *gradatim, & ſucceſſivè agat in corpora*, ità, ut primò quidem pellem, deinde carnem, tum oſſa, ac tandem medullam aggrediatur, & ità ſingulas partes, *non nisì ſucceſſivè*, depaſcatur.

II. Quia, corpora damnatorum ardore ſuo *non mortificat*, nec inſenſibilia reddit, ſed eamdem ſemper facit ſentire ardoris vivacitatem, & aduſtionis pœnalitatem; juxta illud: *dabit enim ignem, & vermes in carnes eorum, ut urantur, & ſentiant usque in ſempiternum. Judith.* 16. *v.* 21. Cùm, è contrà, ordinarius ignis noſter, corpus, quod perfectè adurit, *totum ſtupidum reddat*, ut non nisì in alia parte, nondum aduſta, calo-

rem, aut frigus, imposterum sentiat.

III. Quia, ignis ille infernalis, *non agit virtute sua naturali*: sed veluti instrumentum obedientiale Omnipotentiæ DEI; quæ activitatem ejus ultra naturalem elevat vigorem, & specialem ei tribuit ardorem: Insufflans eum spiritu oris sui, & armans *creaturam ad ultionem inimicorum. Sapi: 5. v. 18.*

MEDITATIO XLII.

De infelici statu Damnatorum.

Præcipua infelicitas statûs Damnatorum, consistit:

I. In æterna amissione infiniti boni eorum.

II. In acerbissimis doloribus æternæ punitionis eorum.

III. In funestissimis operationibus, rabidæ desperationis eorum.

Fruc-

Fructus.

Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non exstingvetur. Isaiæ 66. v. 24.

Hodie, captivis, qui (ultimô suppliciô perimendi) in publicis carceribus vincti detinentur, sumptibus meis prandium parabo: &, ut me à carcere æterno præservet DEUS, instanter eum orabo. *Pater noster. Ave Maria.*

Lectio spiritualis.

QVis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me? inquit *S. Job. c. 14. v. 13.* optimè sciens: *protectionem contra infernum*, quæri debere *in ipso inferno.* Hoc est: eos, qui volunt vitare infernum, æternam illam combustionem: quam in figura Zizaniorum *Matth. 13.* peccatoribus minatur Christus, attenta meditatione perpendendo, juxta consilium Psalmi 54. v. 16. *descendere debere in infernum viventes*, nè, ùt *exponit S. Bernardus Orat. ad Fratres de monte*, eo descendant morientes. Idque triplici potissimùm de causa.

I. *Quia, talis meditatio, peccata nos facit vitare*, nè hæc ad infernum nos queant deturbare, dicente *Ecclesias: c.7. v. 40. memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.* Quis enim audebit peccare, qui horrendam inferni fornacem, peccantes perpenderit expectare? cujus ardorem *nimis accensa fornax illa Babylonica* figurabat, quæ *Danielis 3. v. 47. quadraginta novem cubitis* flammas suas effundebat, *quinquagesimum autem cubitum*, seu Jubilæum numerum remissionis, non attingebat.

II. *Quia, talis meditatio, opera pœnitentiæ suadet exercere*, nè eo deveniamus, ubi jam nemo utiliter poterit pœnitere. Juxta illud: *ligatis manibus & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium. Matth. 22. v. 13.* Damnati enim, ligatas habent *manus*, & nihil boni jam possunt præstare, ligatos habent *pedes*, & nullo jam passu cœlo possunt appropinquare; quia, super eos *venit nox quando nemo potest operari. Joan. 9. v. 4.*

III. *Quia*

III. *Quia, talis meditatio, Justitiam DEI docet timere*, nè, se non timentes, hæc puniat severè.

MEDITATIO XLIII.

De numero damnandorum.

I. Facile est damnari: *quia lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionē, & multi sunt, qui intrant per eam. Matth. 7. v. 13.*

II. Difficile est salvari: quia *angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam: & pauci sunt, qui inveniunt eam. Matth. 7. v. 14.*

III. A Mundi exordio usque ad hæc tempora plurimos perijsse scimus, & plurimos perituros nō dubitamus, electionem autem nostram, per bona opera, certam facere, non adlaboramus.

Fructus.

Nescit homo, utrùm amore an odio dignus sit, Eccles. 9. v. 1.

Qvapropter fratres magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis. 2. Petr. 1. v. 10.

In conventu, & conversatione parium meorum, ùt apis argumentosa, Christo deservire, & pro posse meo, peccata v. g. detractionis, turpiloqvij, dissensionis &c. si quæ obstrepere advertero, discretè, & prudenter, impedire studebo. *Pater noster. Ave Maria.*

Lectio Spiritualis.

PLurimos damnari, paucos salvari, Christi nos docent termini clari, discentis: *multi enim sunt vocati, pauci verò electi. Matth. 20. v. 16.* & S. Paulus idipsum satis declarat 1. *Cor. 9. v. 24.* inquiens: *Qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium.* Ubi, interprete S. Thoma, per *stadium*, denotatur Mundus, seu tota universitas viatorum; per *cursum*, multitudo ad fidem vocatorum; per *unum* autem *comprehensorem*, paucitas electorum. Qvod ut plenius intelligatur, tria notari debent.

I. Su-

I. Superiorem doctrinam non procedere genericè, *de omnibus in Mundo existentibus hominibus.* Quia, cùm S. fides Catholica (utpote *sola fides vera*, sinè qua, *impossibile est placere DEO, ad Heb. 11. v. 6.*) ad salutem sit necessaria; hanc autem, *major hominum pars*, aut *ignoret*, aut *non sequatur*: aliunde certum est, *ex omnibus in Mundo existentibus hominibus*, plures *damnari* quàm *salvari.*

II. Non procedere, *de omnibus simul sumptis Ecclesiæ Catholicæ filiis.* Quia, cum ad hunc numerum, non solùm *fideles adulti*, sed &, rationis usum nondũ assecuti, pertineant *omnes ritè Baptizati*; horum autem (ùt experientia docet) plures, *priusquàm rationis usum adipiscantur, in statu innocentiæ moriantur*: certum est (*his accedente insuper numero adultorum, in gratia DEI morientium*) multò plures salvari, quàm damnari.

III. Hanc doctrinam procedere: *de solis Catholicis adultis*, è quibus, *teste S. Basilio*,

Basilio, *Chrysostomo*, *Gregorio*, *Augustino*, *Hieronymo &c.* plures damnantur, quàm salvantur. Idque triplici potissimùm de causa.

I. Quia, tametsi omnes isti, in *Credo* sint *fideles*, pauci tamen ex ipsis, in *decalogo* sunt *fideles*; Catholicè quidem *credentes*: sed Ethnicè *viventes*.

II. Quia, tametsi omnis isti, credant *in Christum*: pauci tamen ex ipsis, credunt *Christo*, dicenti: divitias, instar Spinarum, animam sauciare. *Lucæ* 8. *v.* 14. Honores, coram DEO, humiliare. *Matth.* 23. 12. voluptates, ad infernum deturbare, *Lucæ* 16. *v.* 22.

III. Quia, tametsi omnes isti, dicant *se velle salvari*: pauci tamen ex ipsis, *volunt conari*.

MEDITATIO XLIV.

De æterna damnatione.

Qvid est æternum damnari?

I. *Est*, *cælum*, *Deúmque perdere*: & quidem perdere irrecuperabiliter.

II. *Est*

II. *Est, torqueri pœnis maximis:* & torqueri incessanter.

III. *Est, desperationis immergi barathro:* & immergi ineluctabiliter. O æterna calamitas! cujus finis nullus.

Fructus.

Qvis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? Isaiæ 33. v. 14.

Semel, aut iterum, acu manum tangens, ità carnem meam alloqvar: ô delicata nimiùm caro mea! quomodo habitare poteris, per omnem æternitatem, *cum igne devorante?* quæ levissimam unius acus puncturam; vix ferre potes? Miserere quæso, tui ipsius, ah miserere! quæ, non solùm æternitatem pœnarum infernalium vitare potes, sed &, nunquam desitura cœli gaudia, exiguo mercari labore, modò seriò velis. *Ecce! nunc tempus acceptabile, ecce! nunc dies salutis. 2. ad Cor. 6. v. 2. Pater noster. Ave Maria.*

Lectio spiritualis.

COngregabo super eos mala, & sagittas meas complebo in eis: inquit de æternis reproborum pœnis ipse Deus, *Deut.* 32. *v.* 23. quasi hæ tam enormes sint: ut pro *completis* haberi queant, quibus vix aliquid ultra superaddi possit. Et sanè: Torqventur enim infelices damnati *in tota anima*: seu in omnibus animæ potentijs, & *in toto corpore*: seu in omnibus corporis sensibus. Ut de singulis eorum meritò dici possit illud: *Isaiæ* 1. *v.* 6. *à planta pedis usque ad verticem, non est in eo sanitas.* hoc est: non modò inferior, sed & superior, *totus*, *per totum*, excruciatur homo. Et quidem;

I. *Intellectus* eorum dirè affligitur, continua apprehensione summi boni, *irrecuperabiliter à se amissi.* Quæ apprehensio, inperceptibilem eis adfert mœrorem, & tristitiam inexplicabilem, juxta illud Psal. 3. v. 10. *Peccator videbit*, DEUM se amisisse, & *irascetur*, DEO, & sibi ipsi, *dentibus suis fremet*, totus rabidus,

bidus, & *tabescet*, præ mœrore. *Voluntas* torquetur, intensissimo *odio DEI*, cui nocere non possunt; & *odio sui*, cui satisfacere non possunt. *Memoria* angitur, *continua recordatione plurimorum præhabitorum mediorum*, per quæ, *facillimè*, damnationem suam vitare potuissent.

II. *Visus* affligitur, aspectu horrendarum larvarum infernalum: *personæ tristes illis apparentes pavorem illis præstabunt. Sapient. 17. v. 4. Auditus* incommodatur, dissono fletu & ululatu, ac stridore dentium: *ibi erit fletus, & Stridor dentium. Matth. 8. v. 12. Gustus* torquetur, fele draconum infernalium: *fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile. Deut. 32. v. 33. Odoratus* excruciatur, fœtore intolerabili: *de cadaveribus eorum ascendet fœtor. Isaiæ 34. v. 3. Tactus* excarnificatur, omni genere tormentorum: *Ignis & Sulphur, & Spiritus procellarum, pars calicis eorum. Ps. 10. v. 7.*

III. Hæc omnia patientur damnati,

per

per totam æternitatem, & *fumus tormentorum eorum aſcendet in ſæcula ſæculorum. Apoc.* 14. *v.* 11. quia, quidquid apud inferos eſt, æternum eſt: quemadmodum & ipſi æterni ſunt.

MEDITATIO XLV.

Confeſsio Chriſtianæ Animæ Damnatæ.

I. DEUS, ut me ſalvaret, tanta fecit! tantis me prævenit beneficijs, naturæ, & gratiæ: per quæ meum erga ſe provocaret amorem. Tantis illuſtravit luminibus, ſtimulavit exemplis, confortavit Sacramentis, ſolicitavit promiſſis, terruit minis: tam longanimi patientia præſtolabatur ad veniam.

II. Facilè ſalvari poteram, modò huic & illi Sanctæ inſpirationi non reſtitiſſem, hanc & illam peccandi occaſionem vitâſſem, in hoc & illo Sancto pro-

proposito constans fuissem. Unica heroica resolutio, unica generosa repudiatio, unica syncera peccatorum confessio cœlū mihi reserare poterat.

III. Ego verò, neglectis his omnibus, genio meo satisfacere volens, in hoc baratrum æternæ infelicitatis me lubens demersi.

Fructus.

Tempus non erit ampliùs. Apoc. 10. v. 6.

Nihil eis tunc proderit æterna lamentatio, quos nunc non frænat recta ratio. *Pater noster. Ave Maria.*

Lectio spiritualis.

Qvia, juxta effatū Ecclesiastæ, *c. 4. v. 12. funiculus triplex difficilè rumpitur.* Ut nos ad se tantò fortiùs traheret DEUS, tres adhibuit solidissimos funes, scilicet: *Amorem, pudorem, timorem.* Et quidem:

I. *Adhibuit Amorem.* Innumeris beneficijs nos præveniendo, &, non modò sua omnia, sed & *corpus, & animam suam* nobis donando, seu pro nobis dan-

do. *Animam meam pono pro ovibus meis. Joann.* 10. *v.* 15. Quàm fortis autem sit funis iste benefici amoris, facilè intelligit: quisquis honestũ animum in pectore gerit. Certè cum DEUS vice quadam interrogâsset Diabolum, quid sibi videretur de Sancto Job? hic incunctanter respondit: *nunquid Job frustrà timet DEUM? nónne tu vallâsti eum? Job* 1. *v.* 9. & 10. quasi dicere vellet: quid mirum, quòd Job DEO adhæreat, quem DEUS protectione sua vallavit, & fortissimo beneficiorum nexu, sibi intimè copulavit. Certè ipsis bestijs, & brutis animantibus pejor esset, si post hæc omnia DEO adhuc non serviret; præsertim, cùm etiam canis, ob datam sibi partem sicci panis, Domino suo adhæreat, & eidem fideliter serviat.

II. *Adhibuit Pudorem.* Innumera Sanctorum exempla nobis proponendo, & per hæc: *quæ multi eorum in ætate adhuc puerili, aut sexu fragiliori, fortiter gesserunt*, pudore nos suffundendo: si ea præstare non conemur, *quæ tenerrimæ*,

promptô

promptô animô, *præstiterunt Virgines, & debilissimi potuerunt impuberes.*

III. *Adhibuit Timorem.* Maximis minis nos terrendo, & palàm nobis declarando: *quartum funem omnes illos exspectare*, qui tribus prioribus se non permiserint ligare: ut eo æternum ligati, sinè fine crucientur damnati: *ligatis manibus & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium. Matt. 22. v. 13.*

MEDITATIO XLVI.

De Cœlo.

I. *O Israel, quàm magna est Domus DEI, & ingens locus possessionis ejus! Bar. 3. v. 24.*

II. *Quàm splendida! Ipsa Civitas, aurum mundum simile vitro mundo. Apoc. 21. v. 18.*

II. *Quàm beata! Non eget sole, neque luna, Apoc. 21. v. 23.* In eo habens omnia, in quo sunt bona omnia.

Fructus.

Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requieſcet in monte Sancto tuo? Pſ. 14. v. 1.

Elevatis in cœlum oculis, ità me ipsũ alloquar: O! pulchra domus; in qua æternùm habitare poſſum modò seriò velim.

Lectio Spiritualis.

QUod in cœlo *præparavit DEUS diligentibus ſe*, inquit S. Auguſtinus, *Fide non capitur, Spe non attingitur, Charitate non comprehenditur, acquiri poteſt, æſtimari non poteſt*. Idque triplici potiſſimùm de cauſa.

I. Quia, ùt ait S. Paulus *1. ad Cor. 2. v. 9. Oculus non vidit*, tam miram rerum *varietatem*, quæ in uno DEO omne bonũ complectens, ſimul excludit *faſtidioſam ſaturitatem*, & nunquam inducit *famelicam anxietatem*. Ubi, juxta illud: *Matt. 18. v. 10. Angeli in cœlis ſemper vident faciem Patris mei, qui in cœlis eſt.* & ſimul *faciem DEI*, quaſi nondum à ſe viſam,

ſemper

ſemper videre deſiderant, juxta illud: 1 *Pet.* 1. *v.* 12. *In qvem deſiderant Angeli proſpicere. Deſiderant autem ſinè labore*, inquit S. Gregorius, l. 18. moral. c. 28. *quia deſiderium ſatietas comitatur, & ſatiantur ſinè faſtidio, quia ipſa ſatietas ex deſiderio ſemper accenditur.*

II. Quia, *nec auris audivit*, de tam mira dulcedinis ſuavitate. Quæ, *teſte S. Auguſtino*, tanta pollet activitate, ùt, ſi vel unica illius gutta in infernum decideret, infinitam damnatorum amaritudinem dulcem redderet. Unde & damnatus Epulo, non plus, quàm *unicam*, hujus ſupernæ conſolationis *guttulam*, ab Abrahamo, per manum Lazari, ſibi transmitti petebat, inquiens : *Pater Abraham, miſerere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti ſui in aquam, ut refrigeret linguam meam. Lucæ* 16. *v.* 24. quia, hanc ſolam, exſtinguendis ardoribus ſuis, ſufficere poſſe ſciebat.

III. Quia, *nec in cor hominis aſcendit*, tanta gaudij plenitudo, quæ omnem cogitatum humanum tranſcendens, cor

nostrum sola poterit satiare, cujus desideria sola poterit adæquare.

MEDITATIO XLVII.

De consecutione Cæli.

I. Ut cælum consequar: *parùm* petit à me DEUS; id unum scilicet: ut adimpleam legem ejus. Legem *facillimam*, Legem *justissimam*, Legem *suavissimam*.

II. Hoc *parùm*, majori ex parte efficit ipse: tantis *gratijs*, quibus præveni-or; tantis *Sacramentis*, quibus confortor; tantis *exemplis*, quibus allicior.

III Hoc *parùm*, plurimùm remuneratur DEUS: *Paucas tribulationes*, æternis gaudiis; *Paucos labores*, requie perpetuâ; *Paucos dolores*, perenni gloriâ.

Fructus.

Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata. Matth. 19. *v.* 17.

Has N. N. malas consuetudines seriò deponam. *Pater noster. Ave Maria.*

Lectio

Lectio spiritualis.

DEUS minùs à nobis petit, quò cœlum consequamur, quam Diabolus, quò infernum mereamur. DEUS enim:

I. *Syncerè adjuvat nos*: plus ipse faciendo, quàm nobis imponendo; juxta illud: *Isaiæ* 26. *v.* 12. *Domine --- omnia enim opera nostra operatus es nobis.* Quia, tametsi bona opera nostra, hoc ipso quod *à nobis*, seu *cooperante libero arbitrio nostro*, fiant: *aliquatenus nostra sint*: inquantum tamen, *DEO auctore* (sinè quo nihil facere possumus. *Joan.* 15. v. 5.) non modò concipiuntur, sed & perficiuntur: *DEI potiùs, quàm nostra esse dignoscuntur.* Ipse enim excitat nos, *ut velimus*, & insuper facit, *ut possimus.* Dum è contra Diabolus, multo graviore sarcinâ suos onerat, & nullô digitô illos sublevat.

II. *Paucis contentatur*, omnísque obsequij sibi præstiti, diligentissimè recordatur: & nec calicem aquæ frigidæ, *sui amore*

amore datum, ſinit eſſe irremuneratum. Juxta illud: *Matth.* 10. v. 42. *Quicunq; potum dederit uni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine Diſcipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.* Dum è contrà Diabolus, ingentem exigit conatum, ut per viam *divitiarum, honorum*, & *voluptatum*, ad infernum abire ſinat hominem, his dementatum.

III. *Si bonum opus, à nobis veraciter intentum, absque culpa noſtra, perficere non valemus: bonam voluntatem noſtram, pro ipſo opere reputari ab illo videmus.* Juxta illud: *Gen.* 22. v. 16. *Quia feciſti hanc rem, & non peperciſti filio tuo unigenito propter me.* Ubi Abrahamus à DEO laudatur, quaſi filium ſuum eidem *ſacrificâſſet*: qui tamen eum, *revera, non ſacrificavit*, ſed tantum *ſacrificare paravit.* Et illud: *Matth.* 25. v. 35. & 36. *Eſurivi enim & dediſtis mihi manducare: ſitivi, & dediſtis mihi bibere: hoſpes eram & collegiſtis me: nudus, & cooperuiſtis me. &c.* Juxta quem textum, Chriſtus, in die extremi Judicij, etiam illos Electos, *qui*

pau-

pauperrimi in hoc Mundo erant, &, quod alijs erogarent, non habebant: *eleemosynarios fuisse declarabit*; quia voluntatem illorum bonam, *pro opere* reputabit. Dum è contrà Mundus, & Diabolus, conatum hominis ridet, si opus intentum subsequi non videt.

MEDITATIO XLVIII.

De ingressu Cœli.

Ad primum Cœli ingressum.

I. Omnium vitæ hujus ærumnarum penitùs oblitus, majoribus, quàm mihi imaginari possim, obruar delicijs, veris fruar solatijs, purissimis replebor voluptatibus.

II. Socij gaudiorum, chori erunt Angelorum, Sanctorum agmina, Beatissima Mater, Christus ipse.

III. Nec de hoc tam felici statu excidendi, ullum me terrebit periculum, quô sinè ullis angustijs, tota frui licebit æternitate.

Fructus.

Momentaneum & leve tribulationis nostræ, supramodum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. 2. *ad Cor.* 4. v. 17.

Omnia adversa, quæ Legem DEI servare volenti passim ocurrunt, libenter tolerabo; nec oblocutionum, aut irrisionum metu, à recto virtutis tramite ullatenus declinabo. *Pater nost. Ave M.*

Lectio Spiritualis.

BEati Cœli incolæ, meritò illud: *Gen.* 41. *v.* 51. usurpare possunt, ac dicere: *oblivisci me fecit DEUS omnium laborum meorum. Non* enim *sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam. Rom.* 8. *v.* 18. quin imò, *sunt indignæ*, qvarum tunc recordentur, aut quæ ab ipsis condignum meritum tantæ gloriæ, æstimentur. Nos autem cœci mortales, hanc sublimem cœli gloriam ideo tam parùm curamus, quia cœlum à verbo *celo* derivamus, & celatas cœli delicias, aut penitus ignoramus: aut terrena

terrena terreni cogitantes, delicijs hujus Mundi similes putamus. Quæ tamen his assimilari nullatenus possunt, & triplici potissimùm de causa, incomparabiliter eas excedunt.

I. Quia, *undequaque sunt perfectæ*. Nullam habentes doloris admixtionem, juxta illud: *Absterget DEUS omnem lachrymarum ab oculis eorum. Apoc. 21. v. 4.*

II. Quia, *undequaque sunt maximæ*. Omnem explentes appetitum in homine, juxta illud: *satiabor cum apparuerit gloria tua. Psal. 16. v. 15.*

III. Quia, *undequaque sunt firmæ*. Utpote superlunares, & supernaturales, mutationibus Lunæ, in nullo vectigales. Cùm è contrà bona hujus Mundi:

I. *Sint bona malis sociata*, juxta illud: 4. *Reg. 5. v. 1. Erat autem vir fortis & dives, sed leprosus.* & illud: *Prov. 14. v. 13. risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat.*

II. *Sint bona non nisi somniata*, juxta illud: *Ps. 75. v. 6. Dormierunt somnum suum:*

um : & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.

III. *Sint bona procellis agitata.* Quæ *Gen. c.* 1. inter *nutantes*, & *instabiles aquas* à DEO creata, quasi fluctuans navicula, contrariis ventis semper fuêre oppugnata.

MEDITATIO XLIX.

De bello Christianorum.

Rex noster Christus, contra *Mundum*, *carnem*, & *Diabolum*, aciem instructurus: victoriam, & copiosa bellaturis promittens spolia, sua nos in castra vocat.

I. *Honestum est ire*, & vocanti obedire: quia indecens est, ipso pugnante Duce, militem stare nolle in acie.

II. *Utile est ire*, & vocanti obedire: quia strenuè pugnantes, possidebunt lætantes, cœlum pro spolio.

III. *Necesse est ire*, & vocanti obedire: quia si non pugnabimus, Christo non conregnabimus, exclusi à gloria.

Fructus.

Fructus.

Non coronatur, nisi legitimè certaverit. 2. *Tim.* 2. *v.* 5.

DEI adjutorium implorabo: contra Mundum, carnem, & Diabolum, in his N.N. magis strenuè pugnabo. *Pater noster. Ave Maria.*

Lectio Spiritualis.

Militia est vita hominis super terram, inquit *S. Job. c.* 7. *v.* 1. in qua *multi* superantur, *pauci* coronantur. Idque triplici potissimùm de causa.

I. *Quia, multi tam segniter pro DEO pugnant, ut hostem Diabolum suâ pugnâ non offendant.* Hi autem non modò *valde displicent DEO*, dicenti: *qui non est mecum*, id est: qui toto corde non adhæret mihi, *contra me est. Lucæ.* 11. *v.* 23. sed etiam, ordinariè *reprobantur ab eo*; juxta illud *Apoc.* 3. *v.* 16. *Quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.* Ubi per *vomitum* æterna denotari videtur *reprobatio*, & non qualiscunque, *sed perpetua, sinè spe recep-*

receptionis, ſignari abjectio. Qvod enim ab aliquo *ſimpliciter tantùm abjicitur*, ſubindè ab eo iterum reſumitur; quod autem *vomitu ejicitur*, à nemine, præterquam à porcis & canibus, denuo recipitur.

II. *Qvia, pauci ſeqvuntur Chriſtum ducem, bajulando ſuam crucem, & viâ illâ incedendo, quam monſtravit præcedendo*, dicens: *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me. Lucæ. 9. v. 23.* Pauci enim nunc reperiuntur, qui ingenuum militem Uriam ſequantur: & quemadmodum ipſe, Ducem ſuum Joab, ſuper faciem terræ pernoctare recordatus, in domo ſua molliter cubare turpe futurum ratus, ajebat Davidi: *Dominus meus Joab, & ſervi Domini mei, ſuper faciem terræ manent: & ego ingrediar domum meam, ut comedam & bibam, & dormiam cum Uxore mea? per ſalutem tuam, & per ſalutem animæ tuæ, non faciam rem hanc. 2. Reg. 11. v. 11.* Ipſi quoque, ſub Chriſti fronte ſpinis coronata, membra nolint eſſe delicata. III,

III. *Quia, tametsi multi bene videantur inchoare, pauci in bono conantur perseverare.* Cùm tamen scriptum sit: *qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Matth. 10. v. 22.*

MEDITATIO L.

Vita CHRISTI, Passio continua.

Christus, non priùs vivere, quàm pati, finijt, qui non priùs esse, quàm pati, cœpit.

I. Præter communem mortalium sortem, *ab ipso Incarnationis instanti,* plenô rationis usu præditus, & virili prudentiâ iam ex tunc potitus: *Vir oriens. Zach. 6. v. 12.* novem Mensibus sinè motu, sinè luce, in Virginalis uteri clausus carcere, molestissimam pro nobis pertulit captivitatem.

II. Cúmque natus esset, temporis ac loci afflictus injurijs, rigidissimæ hyemis nocte media, male tectô corpusculô, reclinatur in fœno.

III. Re-

III. Residuo dein' vitæ decursu, his duriora passus: infami tandem necatus supplicio, spirare desiit in crucis patibulo, *Vir dolorum. Isaiæ. 53. v. 3.*

Fructus.

Facito secundùm exemplar, quod tibi ostensum est in monte. Hebr. 8. v. 5.

Hac determinata commoditate N. quâ, *utpote licita & honesta*, die hodierna frui possem, me sponte privabo: &, quidquid deinceps, *præsertim autem hac die*, adversi mihi acciderit, speciali affectu, amantissimo meo offeram Redemptori, qui mei amore tanta tulit. *Pater noster. Ave Maria.*

Lectio Spiritualis.

BEne quidem S. Evangelista Lucas c. 9. v. 31. *passionem Christi appellavit excessum*, dicens: *Erant autem Moyses & Elias, visi in Majestate: & dicebant excessum ejus, quem completurus erat in Jerusalem.* Hæc enim:

I. *Excessit in duratione.* Quia prius fuit

fuit inchoata, quàm Christi fuerit humanitas nata: & quasi ultrà ipsam Christi vitam protrahebatur nondum finita, cùm jam Christus cessisset è vita. Juxta illud *Joan. 19. v. 33. & 34. Ut viderunt eum jam mortuum -- unus militum lanceâ latus ejus aperuit.*

II. *Excessit in mensura.* Qvia, infinitum Christi amorem habuit pro mensura.

III. *Excessit in modo.* Quia, in omnibus facta absque modo.

Meliùs tamen *ipsi amori*, quô Christus dilexit nos, *nomen aptatur* excessûs; vi cujus nempe, hunc ipsum passionis excessum, inaudito plane excessu:

I. *Ardentissimè desiderabat*, dicens Judæ: *Quod facis, fac citiùs. Joan. 13. v. 27.*

II *Adaugeri cupiebat*, inquiens: *sitio. Joan:* 19. *v. 28.* non potum appetendo, sed majora tormenta ambiendo.

III. *Prolongari satagebat*, exclamans: *DEUS meus, DEUS meus, ut quid dereliquisti me? Matth.* 27. *v.* 46. Cùm enim natura Divina, Sacro-Sanctâ ejus

Humanitatem, ad illam usque horam extraordinariè confortaret, & inter acerbissimos illos dolores, vitam illius miraculosè prolongaret; ex tunc autem, ulteriorem virtutem ei subtrahens, mori eum jam permitteret; ipse, *plura adhuc pro nobis pati desiderans*, hanc amore refertam querimoniam Patri proposuit, dicens: *DEUS meus, DEUS meus, ut quid dereliquisti me?* Quasi diceret: cur ô Pater æterne, vitam meam, quam hucusque miraculosè prolongâsti, ulteriùs protrahere non vis, & pro hominum amore diutiùs me pati non sinis? dum, *quod sufficit redemptioni*, ùt ait S. Chrysost: Serm. 128. *nondum sufficit amori.*

MEDITATIO LI.

De Patientia in adversis.

In adversitatibus meis, recogitabo:

I. *Peccata mea:* quibus majora merui.

II. *Laboriosissimam vitam: dolorosissimam Passionem: crudelissimam interfectionem*

nem innocentissimi JESV; mei amore æquanimiter ab eo supportatam.

III. *Gaudia Cœli:* quæ præparavit DEUS *diligentibus se*, & patientibus *propter se.* Fructus.

Si quis vult post me venire, -- tollat crucem suam. Lucæ. 9. v. 23.

Patientiam à DEO postulabo. *Pater noster. Ave Maria.*

Lectio spiritualis.

Nihil magis, in hac mortali vita, sanctis omnibus comune fuit, quàm: pati persecutiones, tolerare probra, sustinere adversa. Hæc enim sors, omnium, tam novi quàm veteris testamenti, fuit Justorum: & hâc communi viâ in cœlum ascendit universitas Electorum. Ut proinde non immeritò, quemadmodum in capite omniũ prædestinatorum, Christo Domino, *patientiam in adversis*, præ omnibus alijs signis & prodigijs, *evidentissimam Divinitatis ejus probationem exstitisse:* & hanc, in complementum omnium signorum,

quasi ultimum, & maximum miraculum omnium miraculorum, perfidis Judæis in monte Calvariæ clariùs adhuc demonstrandam, ab ipso, *Matth.* 12. v. 39. promissam fuisse, non ignoramus; ità, *hanc ipsam in adversis patientiam*, præ omnibus *prædestinationis nostræ*, seu adoptivæ filiationis indicijs, conjecturis, & signis, *magìs evidens illius indicium*, *meritò æstimare debeamus*. Idque triplici potissimùm de causa.

I. Qvia: *Hæc conditio est, sinè qua non.* Dicente S. Paulo: *si tamen compatimur, ut & conglorificemur. ad Rom. 8. v. 17.*

II. Quia: *Patientia inadversis, gratiæ DEI nos reddit securos.* In cujus rei figuram, Jonathas indicaturus Davidi, utrùm in gratia Regis Saulis esset, néc-ne? hoc ei signum dedit: *Sedebis juxta lapidem, cui nomen est Ezel. Et ego tres sagittas mittam juxta eum, & jaciam quasi exercens me ad signum. Mittam quoque & puerum dicens ei: vade & affer mihi sagittas; si dixero puero: ecce! sagittæ intrà te sunt, tolle eas; tu veni ad me, quia*

pax

pax tibi est, & nihil est mali, vivit Dominus. Si autem sic locutus fuero puero: ecce! sagittæ ultra te sunt: vade in pace, quia dimisit te Dominus. 1. *Reg.* 20. Sagittæ enim DEI *intrà nos sunt*, & per consequens, *gratiæ ejus securos nos reddunt:* quando immissæ à DEO tribulationes, lubenti animo à nobis suscipiuntur, & patienter supportantur; quando autem *nulla adversa nobis à DEO immittuntur*, aut hæc *per impatientiam à nobis rejiciuntur:* tunc enim verò sagittæ Divinæ *ultra nos* esse dignoscuntur, & nos, quasi filios *illegitimos*, à DEO non amari, quodammodo ipsæ loqvuntur. Juxta illud: *Quodsi extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes: ego adulteri, & non filij estis. ad Hebr.* 12. *v.* 8.

III. Quia: ut ait Eliu *Jobi cap.* 37. v. 22. *Ab Aquilone aurum venit.* Hoc est: à rigore adversitatis, spirituales proveniunt Divitiæ, & thesauri meritorum, quibus homo Christianus ditatur, & Cœlum sibi mercatur. Quod bene sci-

ens dilecta ſponſa *Can:* 4. v. 16. *ajebat: ſurge Aquilo, & veni Auſter, perfla hortum meum, & fluant aromata illius.* Quæ alioquin non fluerent, nec odorem exererent, nî contrarij venti hortum invaderent.

MEDITATIO LII.

De vera conſolatione.

Vera conſolatio:

I. *In Mundo non datur:* Nisì de cœlo in Mundum mittatur.

II. In Mundum miſſa, *in Mundo non moratur:* nisì cor à Mundo ſegregatum ab ea inveniatur.

III. *In ſolo DEO reperitur:* Qui ſervis ſuis eam largitur.

Fructus.

In Domino gaudebo: & exultabo in DEO JESU meo. Habac. 3. v. 18.

Solatia mundana non quærens, ipſi toto corde adhærens. *Pater noſter. Ave Maria.*

Lectio Spiritualis.

PLerique homines, consolationem & quietem animi in hoc Mundo quærunt, eámque in divitijs, honoribus, & voluptatibus se invenire posse credunt. Sed falluntur. Hæc enim *in solo DEO hospitatur*, & *ab ipso solo* hominibus datur, qui unicum centrum veræ quietis existens, *solus Paraclitus*, seu *Consolator*, jure appellatur. Unde experientiâ tandem discunt, verum esse, quod eosdem subsannans dixit S. Augustinus: *Non est requies ubi quæritis eam. Quærite quod quæritis; sed ibi non est ubi quæritis. Beatam vitam quæritis in regione mortis: non est illic; quomodo enim beata vita, ubi nec vita?* Idq; triplici potissimùm de causa.

I. Quia, *objectum voluntatis nostræ*, juxta S. Thomam, *est omne bonum*. Bona autem hujus Mundi, *utpote in se ipsis limitata*, non habent rationem *omnis boni*, & consequenter desideria voluntatis nostræ explere, & animum

 nostrum

noſtrum verâ conſolatione replere, nullatenus poſſunt; ſed reſpectu capacitatis dictæ voluntatis, ſunt veluti pauculæ guttulæ aquæ, reſpectu maximi incendij: quæ eidem injectæ, illud non exſtingvunt, ſed magis potiùs accendunt: dum cor noſtrum, extra centrum veræ quietis vagari facientes, ſinè requie, compellunt in gyrum, juxta illud *Pſ.* 105. *v.* 14. *Concupierunt*, filij Iſrael, *concupiſcentiam in deſerto.* Quâ adeptâ, utique non contentabantur, quia: *non quietem*, ſed *concupiſcentiam* adipiſcebantur, & per hanc, *novis concupiſcentiæ fluctibus*, denuo involvebantur.

II. Quia, omne bonum creatum, *bonum non eſt: niſì in DEUM relatum.* Si ergo in illo ſiſtamus, & in DEUM illud non referamus, quod bonum non eſt, *bonum falſo putamus*, eóque ſatiari *fruſtra anhelamus.*

III. Quia, *bona hujus Mundi* ſubjecit DEUS pedibus noſtris: *omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus. Pſ.* 8. *v.* 8. ut ea *ſpernendo*

do pedibus premamus, si succum veræ consolationis acquirere desideramus.

MEDITATIO LIII.

De conformatione nostræ voluntatis cum Divina.

Divinæ voluntati conformatus:

I. DEO est acceptissimus. Quia eidem obsequentissimus.

II. In hac vita beatissimus. Quia in omnibus contentissimus.

III. De cœli gloria securissimus. Quia fini suo conjunctissimus.

Fructus.

Dicite Justo, quoniam bene. Isaiæ 3. v. 10. Divinæ voluntati etiam in his N. N. me conformabo. *Pater noster. Ave M.*

Lectio Spiritualis.

DUm in Gynæceo Regis Assveri servaretur Esther, rarô inter fœminas exemplô, voluntatis propriæ, & genij sui prorsus oblita, ea tantum pro corpo-

ris adornatione adhibebat, quæ Egeus Eunuchus ſponte eidem ſuppeditabat, ſeu aptiora fore judicabat, *Eſther* 2. *v.* 12. Unde & factum legimus, eam præ omnibus dicti Gynæcei puellis, Regi Aſſvero placuiſſe, & nuptiali fœdere eidem ſociatam, univerſi Regni Dominam fuiſſe ab eo declaratam. *ibid. v.* 17. *&* 18. Per quod myſticè figurabatur: Chriſtianam animam, in Gynæceo hujus Mundi commorantem, ſeu nuptias cœleſtes præſtolantem: DEO præ ceteris placituram, & amoris ejus amplexu æternùm fruituram, ſi propriæ voluntatis oblita, ea quæ vult DEUS, approbando: & quia ipſe *bene omnia fecit, Marc.* 7. *v.* 37. cordicitus æſtimando: voluntati illius ſe ſtuduerit conformare, & providentiſſimæ ordinationi voluerit reſignare. Idque triplici potiſſimùm de cauſa.

I. Quia, hoc modo, *cœleſtem vitam vivet in terra*, voluntatem DEI adimplens: *ſicut in Cœlo, & in terra. Matth.* 6. *v.* 10.

II. Quia, ob idipſum, *familiæ cœleſti*

ſociari

ſociari merebitur Chriſti, dicentis: *Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt; ipſe meus Frater, & Soror, & Mater eſt. Matth. 12. v. 50.*

III. Quia, *digna cenſebitur conſortio Angelorum, quæ, virtute ſuâ, æquanimitatem naturalem adæquabit eorum.* Dum: quemadmodum in ſcala Jacob, *Gen. 28. v. 12. eadem promptitudine* deſcendebant, quâ aſcendebant Angeli: ipſa etiam, Divinæ voluntati perfectè inhærendo, ſive à DEO *exaltetur*, ſive pro ejus gloria *humilietur*, in omnibus contenta reperietur.

MEDITATIO LIV.

De amore DEI erga hominem.

Infinitus DEI erga hominem amor:

I. Se ipſum prodidit in creatione.

II. Magis eluxit in Redemptione.

III. Pleniùs cognoſcetur in beatifica cœli viſione.

visione. Ubi tandem licebit intelligere, quanta DEUS fecerit pro homine.

Fructus.

Quid est quod debui ultrà facere vineæ meæ, & non feci ei? Isaiæ 5. v. 4.

Beneficiorum DEI sedulò recordabor. *Pater noster. Ave Maria.*

Lectio spiritualis.

TAmetsi infinitus DEI erga hominem amor, in se ipso incomprehensibilis sit; tamen, ut magnitudinem ejus, pro modulo nostro, aliquatenus saltem cognoscamus: sequentes circumstantias attentiùs perpendamus.

I. DEUM nos amâsse *priusquàm essemus*, qui: *in Charitate perpetua* dilexit nos. *Jerem. 31. v. 3.* Hoc est: *ùt explicat S. Bonav.* ab æterno amavit nos. Seu: *ut inquit S. Cyrillus 1. Thes. c. 1.* nostri amorem, coæternum voluit esse comitem illius amoris, quô diligit se ipsum. *Non citiùs sui, quàm nostri existens amator.*

II. DEUM nos amâsse cùm jam essemus,

mus, *ſed ab eo nos amari nondum ſciremus.*

III. DEUM nos amâſſe cùm eſſemus, & ab eo nos amari quidem ſciremus: *ſed infinitum ejus amorem condignè æſtimare, ex tunc in æternum, incapaces eſſemus.*

Et hic amor eò usque excrevit:

I. *Ut*, Pater æternus: *Filium ſuum unigenitum*, pro homine, *daret. Joan.* 13. *v.* 16.

II. Filius: mori pro eo non dubitaret. *Joan.* 10. *v.* 15.

III. Spiritus Sanctus: omnibus gratiæ theſauris eum dignum reputaret.

Hic autem amor:

I. Nullum DEO attulit, nec adferre potuit commodum.

II. Innumeris Filium ejus ſubjecit incommodis.

III. Ingratis impenſus eſt hominibus.

ME-

MEDITATIO LV.

De diligendo DEO.

I. DEUS amari *debet*: quia, ut eum amemus districtè præcipit. *Dignus est*: quia, bonitas est infinita. *Meretur*: quia, prior dilexit nos.

II. Ejus amorem petit, *creatio*: continua exigit, *conservatio*: jure deposcit, pretiosa nostri *redemptio*.

III. Hunc *nisì amemus*: æterna nos manent inferorum supplicia; *si amemus*: cœli expectant tripudia.

Fructus.

Domine - - - tu scis, quia amo te. Ioan. 21. *v.* 17.

Et nè, tractu temporis, amor meus tepescat erga te: tui nunquam oblitus, persolutis precibus meis matutinis (juxta propositum in quarta Meditatione jam ante à me conceptum, & hodie renovatum) ut minùs per quartam unius horæ partem, die quolibet, piè aliquid meditando, cor meum levabo ad te. *Pater noster. Ave Maria.*

Lectio ſpiritualis.

NOn ſinè myſterio *Levitici 6. v. 12.* præcepit DEUS: ignem in altari ſuo perpetuo ali, nè unquam exſtingveretur: *Ignis autem in altari ſemper ardebit.* Per id enim, *juxta expoſitionem S. Gregorij*, innuebatur: DEUM velle: *ut in altari cordis noſtri ignis Divini amoris nunquam exſtingvatur.* Idqúe triplici potiſſimùm de cauſa:

I. Quia, *perpetuum ei debemus amorem*, qui perpetuum & infinitum bonum, in ſe ipſo, exiſtens: nobis quoque, perpetuum & infinitum bonum fieri volens, perpetuô & infinitô amore, *prior dilexit nos. 1 Ioan. 4. v. 19.*

II. Qvia, *ſola Charitas nos ei perfectè copulat*, quæ ſola in perpetuum conſtans perſeverat. *Charitas* enim *nunquam excidit, ſive prophetiæ evacuabuntur, ſive lingvæ ceſſabunt, &c. 1. ad Cor. 13. v. 8.* Cui etiam ſoli *perpetua promittitur merces*, dicente eodem Apoſtolo *1. ad Cor. 2. v. 9. oculus non vidit, nec auris audivit, nec in*

cor hominis ascendit, quæ præparavit DEUS ijs, qui diligunt illum.

III. Quia, *opera nostra, Charitate non impingvata, munera sunt Cain, DEO minus grata,* utpote *sinè adipse* eidem oblata. *Gen. 4. v. 3.* Charitas enim *adeps virtutum est*, quæ actiones nostras, quantumvis in se ipsis alioquin *macilentas*, & valde exiguas, mirè dignificat; & quæ, teste S. Augustino, *Sola sufficit, si adsit; dum omnia nihil prosunt, si sola ipsa desit.* juxta illud: *Si lingvis hominum loquar, & Angelorum, Charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens --- &, si habuero omnem fidem, ità ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum, --- &, si tradidero corpus meum, ità ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* 1. *Cor.* 13. *v.* 1. 2. 3.

No-

Notandum.

Ut suprà positæ spirituales lectiones, *non solùm doctioribus*: sed etiam, *litterarum ignaris, prodesse possint rudioribus*; materias præbent Concionum, *in Dominicas totius Anni*. Quæ, à Zelosis verbi Divini Præconibus, facilè dilatari; &, Fideli Populo, ordine sequente, poterunt prædicari.

Pro Dominica I. Adventus.

Valebit lectio Spiritualis XXXIX. Meditationis: *De signis Judicij Extremi*. Argumentum illius est: *Diem Extremi Judicij nos credere, & expectare: & tamen vitam nostram nequaquam emendare*. Thema, seu textus concioni præfigendus, sumi poterit ex Evangelio ejusdem Dominicæ: *Erunt signa in Sole, & Luna, & Stellis. Lucæ 21. v. 25.*

Pro Dominica II. Adventus.

Lectio Spiritualis LI. Meditationis: *De Patientia in adversis*. Argumentum. *Patientia in adversis, spes certa prædestinationis*. Thema, seu textus Evangelij: *Joannes autem cum audisset in vinculis opera Christi. Matth. 11. v. 2.*

Pro Dominica III. Adventus.

Lectio Spiritualis XXV. Meditationis: *De vitio superbiæ.* Argumentum. *Non habemus causam superbiendi.* Thema, seu textus Evangelij: *Tu quis est? Joan. 1. v. 19.*

Pro Dominica IV. Adventus.

Lectio Spiritualis IV. Meditationis: *De negotio salutis.* Argumentum. *Negotijs forensibus periculosè implicamur, nî priùs in Sancta solitudine a DEO instruamur.* Thema, seu textus Evangelij: *Factum est verbum Domini super Joannem, Zachariæ filium, in deserto. Lucæ 3. v. 2.*

Pro Dominica infra octavam Nativitatis Christi.

Lectio Spiritualis X. Meditationis. *De bona prolium educatione.* Argumentum. *Bona prolium educatio, optatum plerumque sortitur effectum.* Thema, seu textus Evangelij: *Puer autem crescebat, & confortabatur, plenus sapientiâ. Lucæ 2. v. 40.*

Pro Dominica post octavam Nativitatis Christi.

Lectio Spiritualis XI. Meditationis: *De modo bonæ prolium educationis.* Argumentum. *Quales Parentes, tales ordinariè eorum filij.* Thema,

ma, ſeu textus Evangelij: *Audiens autem, quòd Archelaus regnaret in Judæa pro Herode Patre ſuo, timuit illò ire. Matth. 2. v. 22.*

Pro Dominica I. poſt Epiphan.

Lectio Spiritualis XVIII. Meditationis: *De SS. Miſſæ ſacrificio.* Argumentum. *Miſſam audire, plurimùm juvat.* Thema, ſeu textus Evangelij: *Invenerunt illum in templo. Lucæ 2. v. 46.*

Pro Dominica II. poſt Epiphaniam.

Lectio Spiritualis XXVII. Meditationis: *De vitio Gulæ & Ebrietatis.* Argumentum. *Gula Mater vitiorum.* Thema, ſeu textus Evangelij: *Omnis homo primùm bonum vinum ponit: & cùm inebriati fuerint, tunc id, quod deterius eſt. Joan. 2. v. 10.*

Pro Dominica III. poſt Epiphaniam.

Lectio Spiritualis XLI. Meditationis: *De Inferno:* Argumentum. *Pœnæ Inferni excedunt captum noſtrum.* Thema, ſeu textus Evangelij: *Ibi erit fletus, & ſtridor dentium. Matth. 8. v. 12.*

Pro Dominica IV. poſt Epiphaniam.

Lectio Spiritualis XLVIII. Meditationis: *De Ingreſſu Cœli.* Argumentum. *Bona Cœli, bonis Mundi æquiparari non poſſunt.* Thema, ſeu textus Evangelij: *Et ecce motus magnus, factus*

est in Mari, ità ut navicala operiretur fluctibus. Matth. 8. v. 24.

Pro Dominica V. post Epiphaniam.

Lectio Spiritualis XLII. Meditationis: *De infelici statu Damnatorum.* Argumentum. *Qui vult evitare Infernum, seriò meditetur Infernum.* Thema, seu textus Evangelij: *Colligite primùm Zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum. Matth. 13. v. 30.*

Pro Dominica VI. post Epiphaniam.

Lectio Spiritualis XLVI. Meditationis: *De Cœlo.* Argumentum. *Beatitudo Cœli, ineffabilis, & imperceptibilis est.* Thema, seu textus Evangelij: *Eructabo abscondita à constitutione Mundi, Matth. 13. v. 35.*

Pro Dominica in Septuagesima.

Lectio Spiritualis XX. Meditationis: *De otio vitando.* Argumentum. *Otium vitare oportet.* Thema, seu textus Evangelij: *Quid hìc statis tota die otiosi? Matth. 20. v. 6.*

Pro Dominica in Sexagesima.

Lectio Spiritualis XXI. Meditationis: *De vitandis peccandi occasionibus.* Argumentum. *Occasiones peccandi necessariò vitandæ.* Thema, seu textus Evangelij: *Aliud cecidit secùs viam, & conculcatum est, Luc. 8. v. 5.*

Pro Dominica in Quinquageſima.

Lectio Spiritualis XXVIII. Meditationis: *De vitio Avaritiæ.* Argumentum. *Avaritia, ſummè excæcat hominem.* Thema, ſeu textus Evangelij: *Cæcus quidam ſedebat ſecus viam. Lucæ* 18. *v.* 35.

Pro Dominica I. Quadrageſimæ.

Lectio Spiritualis I. Meditationis: *De creatione, & fine creationis Univerſorum.* Argumentum. *DEO, tanquam ſupremo Domino, ſervire debet homo.* Thema, ſeu textus Evangelii: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies. Matth.* 4 *v.* 10.

Pro Dominica II. Quadrageſimæ.

Lectio Spiritualis L. Meditationis: *Vita Chriſti, Paſſio continua.* Argumentum. *Exceſſus paſſionis, exceſſus amoris.* Thema, ſeu textus Evangelij: *Et ecce! apparuerunt illis Moyſes & Elias cum eo loqventes. Matth.* 17. *v.* 3.

Pro Dominica III. Quadrageſimæ.

Lectio Spiritualis XLIX. Meditationis: *De bello Chriſtianorum.* Argumentum. *Cur tam pauci victoriam reportent de Diabolo?* Thema, ſeu textus Evangelij: *Qvi non eſt mecum, contra me eſt. Lucæ* 11. *v.* 23.

Pro Dominica IV. Quadragesimæ.

Lectio Spiritualis XII. Meditationis: *De fiducia in DEI providentia.* Argumentum. *Divinæ Providentiæ securè nos committimus.* Thema, seu textus Evangelij: *Unde ememus panes, ut manducent hi? hoc autem dicebat tentans eum; Ipse enim sciebat, quid esset facturus. Joan. 6. v. 5. & 6.*

Pro Dominica Passionis.

Lectio Spiritualis XVII. Meditationis: *De Concionibus, & Spiritualibus exhortationibus, diligenter frequentandis.* Argumentum. *Sacræ conciones diligenter frequentandæ.* Thema, seu textus Evangelij: *Qui ex DEO est, verba DEI audit. Joan. 8. v.* 47.

Pro Dominica Palmarum.

Lectio Spiritualis XXXIV. Meditationis: *De statu Moribundi.* Argumentum. *Facilè bona Mundi, ipsúmque Mundum, & omnem gloriam ejus contemnit, qui horum vanitatem attentè expendit.* Thema, seu textus Evangelij: *Hosanna Filio David: benedictus, qui venit in nomine Domini. Matth. 21. v. 9.*

Pro Dominica Resurrectionis Domini.

Lectio Spiritualis XXXVII. Meditationis: *De universali resurrectione corporum.* Argumentum.

tum. *Non habet cur ſuperbiat nobiliter natus: nec cur triſtetur ignobilis procreatus.* Thema, ſeu textus Evangelij: *Surrexit. Marci.* 16. *v.* 6.

Pro Dominica I. poſt Paſcha.

Lectio Spiritualis XIV. Meditationis: *De Sacerdotibus honorandis.* Argumentum. *Sacerdotes ſunt honorandi.* Thema, ſeu textus Evangelij: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt. Joan.* 20. *v.* 23.

Pro Dominica II. poſt Paſcha.

Lectio Spiritualis XLV. Meditationis: *Confeſſio Chriſtianæ animæ damnatæ.* Argumentum. *DEUS, omnes tentavit modos, ut ſibi uniret hominem.* Thema, ſeu textus Evangelij: *Et animam meam pono pro ovibus meis. Joan.* 10. *v.* 15.

Pro Dominica III. poſt Paſcha.

Lectio Spiritualis XXXV. Meditationis: *De ultimo momento vitæ.* Argumentum. *Vivito bene, nè moriaris malè.* Thema, ſeu textus Evangelij: *Modicùm, & jam non videbitis me. Joan.* 16. *v.* 16.

Pro Dominica IV. poſt Paſcha.

Lectio Spiritualis XXII. Meditationis: *De peccato mortali.* Argumentum. *Per quodlibet*

peccatum Mortale, in summo damnationis periculo constituimur. Thema, seu textus Evangelij: *Arguet Mundum de peccato. Joan. 16. v. 8.*

Pro Dominica V. post Pascha.

Lectio Spiritualis LIV. Meditationis: *De amore DEI erga hominem.* Argumentum. *Summus DEI erga hominem amor.* Thema, seu textus Evangelij: *Ipse enim Pater amat vos. Joan. 16. v. 27.*

Pro Dominica VI. post Pascha.

Lectio Spiritualis XVI. Meditationis: *De alienis peccatis occultis non propalandis.* Argumentum. *Peccata aliena non sunt propalanda.* Thema, seu textus Evangelij: *Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare DEO. Joan. 16, v. 2.*

Pro Dominica Pentecostes.

Lectio Spiritualis LII. Meditationis: *De vera consolatione.* Argumentum. *Solus Deus, Paraclitus, & consolator noster est.* Thema, seu textus Evangelij: *Paraclitus autem Spiritus Sanctus. Joan. 14. v. 26.*

Pro Dominica Trinitatis.

Lectio Spiritualis III. Meditationis: *De dignitate hominis Christiani.* Argumentum. *Dignitatis nostræ utiliter recordamur.* Thema,

seu

ſeu textus Evangelij: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti. Matth.28.v.19.*

Pro Dominica II. poſt Pentecoſten.

Lectio Spiritualis XXIX. Meditationis: *De vitio Luxuriæ.* Argumentum. *Amor Mulierum, plurimos perdit.* Thema, ſeu textus Evangelij: *Uxorem duxi, & ideo non poſſum venire. Lucæ 14. v. 20.*

Pro Dominica III. poſt Pentecoſten.

Lectio Spiritualis XXXI. Meditationis: *De dilatione Pœnitentiæ.* Argumentum. *Periculoſiſſimum eſt pœnitentiam differre in craſtinum.* Thema, ſeu textus Evangelij: *Erant autem appropinquantes ei Publicani, & Peccatores. Lucæ 15. v. 1.*

Pro Dominica IV. poſt Pentecoſten.

Lectio Spiritualis XXIV. Meditationis: *De pœnis peccati Mortalis.* Argumentum. *Omnium malorum fons & origo peccatum.* Thema, ſeu Textus Evangelij: *Per totam noctem laborantes, nihil cepimus. Lucæ 5. v. 5.*

Pro Dominica V. poſt Pentecoſten.

Lectio Spiritualis XL. Meditationis: *Proceſſus Judicij Extremi.* Argumentum. *Rigor Divinæ Juſtitiæ, in extrema patebit Judicij die.* Thema, ſeu textus Evangelij: *Niſi abundaverit*

Justitia vestra plùs quàm Scribarum , & Pharisæorum, non intrabitis in Regnum Cœlorum. Matth. 5. v. 20.

Pro Dominica VI. post Pentecosten.

Lectio Spiritualis IX. Meditationis : *De Juvandis animabus Purgatorij.* Argumentum. *Cur multi negligant juvare animas purgatorij?* Thema, seu textus Evangelij ; *Misereor super turbam. Marci 8. v. 2.*

vel

Lectio Spiritualis XIX. Meditationis : *De frequenti, & devota , SS. Eucharistiæ sumptione.* Argumentum. *Sæpiùs Eucharistiam devotè sumentes, suavitatem illius experiuntur.* Thema, seu textus Evangelij : *Et manducaverunt , & saturati sunt. Marci 8. v. 8.*

Pro Dominica VII. post Pentecosten.

Lectio Spiritualis VI. Meditationis : *De necessitate bonorum operum.* Argumentum. *Bona opera , necessaria sunt ad consequendam salutem æternam.* Thema , seu textus Evangelij : *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excindetur , & in ignem mittetur. Matth. 7. v. 19.*

Pro Dominica VIII. post Pentecosten.

Lectio Spiritualis XXXIII. Meditationis : *De nuntio Mortis.* Argumentum. *Peccator in articulo mortis constitutus , difficillimè convertitur*

ad

ad Deum. Thema, ſeu textus Evangelij: *Redde rationem villicationis tuæ, jam enim non poteris villicare. Lucæ* 16. *v.* 2.

Pro Dominica IX. poſt Pentecoſten.

Lectio Spiritualis XIII. Meditationis: *De reverentia templis debita.* Argumentum. *Deus zelat honorem templorum ſuorum.* Thema, ſeu textus Evangelij: *Et ingreſſus in templum, cœpit ejicere vendentes, in illo, & ementes. Lucæ* 19. *v.* 45.

Pro Dominica X. poſt Pentecoſten.

Lectio Spiritualis XXX. Meditationis: *De vera Pœnitentia.* Argumentum. *Pauciſſimi veram de peccatis Pœnitentiam agunt.* Thema, ſeu textus Evangelij: *Deus propitius eſto mihi Peccatori. Lucæ* 18. *v.* 13.

Pro Dominica XI. poſt Pentecoſten.

Lectio Spiritualis LIII. Meditationis: *De conformatione noſtræ voluntatis cum Divina.* Argumentum. *DEO præprimis grati, voluntati ejus conformati.* Thema, ſeu textus Evangelij: *Bene omnia fecit. Marci* 7. *v.* 37.

Pro Dominica XII. poſt Pentecoſten.

Lectio Spiritualis XLVII. Meditationis: *De conſecutione Cœli.* Argumentum. *Facilè*

Cælum consequi possumus. Thema, seu textus Evangelij: *Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo. Lucæ* 10. *v.* 25.

Pro Dominica XIII. post Pentecosten.

Lectio Spiritualis XXVI. Meditationis: *De vitio Ingratitudinis.* Argumentum. *Cur plerique homines pro acceptis beneficijs Ingratos se exhibeant?* Thema, seu textus Evangelij: *Nónne decem mundati sunt: & novem ubi sunt? non est inventus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisì hic Alienigena. Lucæ* 17. *v.* 17. *&* 18.

Pro Dominica XIV. post Pentecosten.

Lectio Spiritualis V. Meditationis: *De ordine negotiorum.* Argumentum. *In alijs negotijs diligentes, in negotio salutis plerumque negligentes.* Thema, seu textus Evangelij: *Quærite ergo primùm Regnum Dei, & justitiam ejus: & hæc omnia adjicientur vobis. Matth.* 6. *v.* 33.

Pro Dominica XV. post Pentecosten.

Lectio Spiritualis XXXII. Meditationis: *De Morte, & incertitudine illius.* Argumentum. *Mors omnibus incerta.* Thema, seu textus Evangelij: *Ecce! defunctus efferebatur filius unicus Matris suæ, Lucæ* 7. *v.* 12.

Pro

Pro Dominica XVI. post Pentecosten.

Lectio Spiritualis XV. Meditationis: *De Judicio temerario.* Argumentum. *Cur plerique ad temerè iudicandum proximum sint proclives?* Thema, seu textus Evangelij: *Et ipsi observabant eum. Lucæ 14. v. 1.*

Pro Dominica XVII. post Pentecosten.

Lectio Spiritualis LV. Meditationis: *De diligendo DEO.* Argumentum. *Bonum sinè fine, amandum sinè fine.* Thema, seu textus Evangelij: *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo. Matth. 22. v. 37.*

Pro Dominica XVIII. post Pentecosten.

Lectio Spiritualis XXIII. Meditationis: *De temeritate peccantis.* Argumentum. *Deus nos videt peccantes.* Thema, seu textus Evangelij: *Et cum vidisset JESUS cogitationes eorum, dixit: ut quid cogitatis mala in cordibus vestris? Matth. 9. v. 4.*

Pro Dominica XIX. post Pentecosten.

Lectio Spiritualis XLIII. Meditationis: *De numero damnandorum.* Argumentum. *Fidelium adultorum plures damnantur, quàm salventur.* Thema, seu textus Evangelij: *Multi enim sunt vocati, pauci verò electi. Matth. 22. v. 14.*

vel.

vel.

Lectio Spiritualis XLIV. Meditationis: *De æterna damnatione.* Argumentum. *Pœnis damnatorum vix aliquid ultrà addi posse videtur.* Thema, seu textus Evangelij: *ubi erit fletus, & stridor dentium. Matth. 22. v. 13.*

Pro Dominica XX. post Pentecosten.

Lectio Spiritualis VII. Meditationis: *De peccato veniali deliberatè commisso.* Argumentum. *Non tantùm peccata Mortalia, sed etiam peccata Venialia, pro posse, vitare oportet.* Thema, seu textus Evangelij: *Domine, descende priusquàm moriatur filius meus. Joan. 4. v. 49.*

Pro Dominica XXI. post Pentecosten.

Lectio Spiritualis VIII. Meditationis: *De pœnis Purgatorij.* Argumentum. *Pœnæ Purgatorii sunt acerbissimæ.* Thema, seu textus Evangelij: *Tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum. Matth. 18. v. 34.*

Pro Dominica XXII. post Pentecosten.

Lectio Spiritualis II. Meditationis: *De pretio animæ humanæ.* Argumentum. *Anima hominis, ad imaginem DEI condita, pretiosissimus thesaurus est, sed à paucis condignè æstimatur.* Thema, seu textus Evangelij: *Cujus est imago hæc? Matth. 22. v. 20.*

Pro

Pro Dominica XXIII. post Pentecosten.

Lectio Spiritualis XXXVI. Meditationis: *De statu corporis post Mortem.* Argumentum. *Seria consideratio luti, in quod resolvemur mortui, oculos aperit hominis vivi.* Thema, seu textus Evangelij: *Domine, filia mea modò defuncta est. Matth. 9. v. 18.*

Pro Dominica XXIV. & ultima post Pentecosten.

Lectio Spiritualis XXXVIII Meditationis: *De separatione Reproborum ab Electis.* Argumentum. *Horrenda Reproborum ab Electis segregatio.* Thema, seu textus Evangelij: *Et mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna; & congregabunt Electos ejus à quatuor ventis. Matth. 24. v. 31.*

O. A. M. D. G.

Deus cr[illegible] hominem ad
ad imaginem suam, et sicut
Deus est trinus in [illegible]
ita homini dedit tres potentias
memoriam, [illegible] intellectum
et voluntatem [illegible] et iterum
sicut [illegible] in Caelo [illegible]
[illegible] ita homo
[illegible]
[illegible] totum in toto
corpore [illegible] in [illegible]
[illegible] parte [illegible] et [illegible] ut
[illegible] [illegible] ita hunc
[illegible] minimum [illegible]
ad

[illegible]

Finis [illegible]

[illegible] 17[illegible]

Laurentius Latorinski
Alumnus Seminarii Areniensis
Cracoviae

[illegible]

Ars ... ut practica speculativa.